

**Tentamen pathologicum inaugurale, de causis hydropum : quod, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus et privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Gulielmus Robertson, Scoto-Britannus, Cohortis 42dae (sive Regiae Celticae) Chirurgus Primarius, Societ. Physicae Soc. Corresp. Et Societ. Reg. Medicae, Nec non Societ. Chemicæ Ed. Soc. Extraord.**

### **Contributors**

Robertson, William, -1837.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Edinburgh, 1786.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/use4bc5s>

### **Provider**

University of Glasgow

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

TENTAMEN PATHOLOGICUM  
INAUGURALE,  
DE  
CAUSIS HYDROPUM.

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subicit

GULIELMUS ROBERTSON,  
SCOTO-BRITANNUS,

Cohortis 42dae (sive Regiae Celticae) Chirurgus Primarius,

Societ. Physicae Soc. Corresp.

Et

Societ. Reg. Medicae,

Nec non

Societ. Chemicæ Ed. Soc. Extraord.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

MUSEUM ANATOMICO-PATHOLOGICUM

IN AUSTRIA

AUSTRIAN MUSEUM

OF

ANATOMY AND PATHOLOGY

IN VIENNA

GUILIELMI ROBERTSON, S. P. T. P.

ACADEMICUS

PROFESSOR

OF THE ANATOMY AND PATHOLOGY

OF THE FACULTY OF MEDICINE

PRO GRADU DOCTORIS

IN MEDICINA

Mr. Jeffrey M. C. C.

with respectful Compliments

from the Author

Leimmann corrigis

At Vienna, June 22, 1831

EDINBURGH

AND DALYOUR & SMITH

Academy of Sciences

MDCCLXXXVI

GULIELMUS ROBERTSON,  
JOANNI MERVIN NOOTH, M. D.

Reg. Soc. Sod. Colleg. Reg. Medic. Londin. Soc.

Omnium nosocomiorum regionum militarium

In America,

Per decursum belli proximi,

Praefecto, medicoque primario,

&c. &c. &c.

S. P. D.

*Ut hanc exercitationem academicam inauguralem, quae ab omni perfectione longe longeque distat, tibi consecrem, nec ordo summus, quem merito attigeris, nec fama, quam in medicina et scientia jure optimo tibi comparaveris, celeberrima facit; eam enim patrocinio tali omnino indignam esse probe novi. Longe alia in causa sunt. Per bellum, quo America nuper flagravit, horrendum, me, et in munis publicis et in privatis obeundis, ope et consilio tuo constanter et prompte juvisti. Quinetiam comitatem et amicitiam singulares, quas mihi summo honori esse et duxi, et semper ducam, in me nunquam non demonstrasti. His igitur inductus, hanc occasionem, quae in praesentia mihi subministratur, quot quantaque tibi debeam, publice testandi gratus et lubens arripio.*

EDINBURGH, idibus Junii, anno }  
salutis humanae 1786, da- }  
bam. }

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

# TENTAMEN PATHOLOGICUM

I N A U G U R A L E,

D E

## CAUSIS HYDROPUM.

CULLENUS, vir jure celeberrimus, in opere suo de nosologia methodica absolutissimo, ordinem *Intumescentiae* classis *Cachexiae* in quatuor sectiones dividendum curavit, quarum tertia, *Aquosae* nempe, vel *Hydropes*, compluria morborum genera comprehendit. E cadaveribus autem incisis, paracentesi, et effectibus, quos remedia edunt, humorem aquosum accumulatum esse causam, unde omnia phaenomena, quae in unoquoque eorum semet ostendunt, recta proficiscuntur, et huncce humorem tela cellulosa, cavis corporis naturalibus, vel saccis singularibus contineri, satis superque constare videtur.

Cum leges et instituta hujusce academiae celeberrimae ab unoquoque, qui ad summos artis Hippocraticae honores evehi cupiat, dissertationem super aliquo argumento medico nunquam non exigant, in ea, quam in vulgus volens volensve edam necesse est, sequentia praestare pro virili contendam:

I. Causas hujusce accumulationis, quae fuerunt positae, diversas recensere, et in ordinem redigere.

II. Modum, quo agant, considerare.

†

A

III. Ad

III. Ad historias vel incisiones certas, in quibus positaer vifae  
ye fuerunt agere, lectorem relegando, eas ut res veras stabiliri  
conari.

Quantum ad sectiones, primam et alteram, spectat, in iis com  
ponendis opera, praelectiones, et observationes etiam privatas viri  
ingeniosi, docti, et illustris Culleni non parum opis mihi attuliss  
lubens gratulorque confiteor. Longe tamen ab ea, quam exopto  
perfectione distant; animus enim ab iis, inter conscribendum  
per mala domestica gravissima et luctuosa, identidem fuit avoca  
tus, et semper contristatus. Quod ad sectionem postremam at  
tinet, quae, me iudice, longe maximi est momenti, haec notanda  
duco. Cum ad historias, non fidem meam obstringo, sed obser  
vationes, contra, auctoritate eorum, qui memoriae tradiderunt  
ex toto innitantur oportet; cum ad incisiones relego, eas sem  
per accuratas esse, asserere minime audeo. Qui plurimum etiam  
in cadaveribus scrutandis versantur, ii, nisi historia morbi ante  
cedentis bene fuerit cognita, et omnia phaenomena accurate e  
numerata, causas morborum et originem nequeunt comperire  
His datis, plurimum difficultatis etiamnum superest. Neminem  
enim, qui ad incisiones saepe decucurrit, potest latere, historiam  
morbi saepe ex toto deesse, vel parum esse accuratam. Si igitur  
tur in errores aliquot, qui quidem non facile possunt caveri  
fuero illapsus, difficultas rei me excusatum habebit, praesertim  
cum animum ad investigationes hujuscemodi prosequendas non  
multum adjungere consueverim.

Omnes autem causas hydropum positas in ordinem quandam  
in tabula sequente, sum conatus redigere.

### CAUSAE HYDROPUM.

I. Causae, quae faciendo, ut effusio augeatur, solummodo a  
gunt:

1. Exhalatio adaucta: Hanc autem faciunt

A. Impetu

. Impetus sanguinis praeter consuetudinem, vasa exhalantia versus factus, qui incidit,

A. Cum reditui sanguinis venosi postea enumeratis obfistitur.

a. Cum totius sanguinis,

aa. Affectibus cordis,

aaa. Concretis in cavis ejusdem polyposis.

bbb. Materiae osseae formatione, vel concretis calculosis.

ccc. Partibus contiguis pericardio ubique adhaerentibus.

bb. Vitiis pulmonum,

aaa. Partibus contiguis pleurae ubique adhaerentibus.

bbb. Injuriis substantiae pulmonum ipsi illatis.

ccc. Asthmate.

b. Cum partis sanguinis,

aa. Positura corporis.

bb. Hepate schirrho laborante.

cc. Tumoribus in tunicis certarum venarum formatis.

dd. Concretis polyposis in cavis venarum singularium ortis.

ee. Venis quibusdam externe compressis.

aaa. Visceribus schirro affectis adjacentibus,

α Hepate.

β Ventriculo.

γ Pancreate.

δ Liene.

ε Rene.

ζ Caeco.

η Utero.

bbb. Aneurismatis.

ccc. Tumoribus per steatomata factis.

ddd. ————— in facos inclusis.

eee. Humoribus effusis.

fff. Abscessibus.

ggg. Utero gravido,

b. Cum



B. Cum impetus sanguinis arteriosi intenditur,

a. Phlegmasiis.

b. Haemorrhagiis suppressis.

aa. Haemorrhoides.

bb. Menstruis.

cc. Lochiis.

c. Visceribus scirrho laborantibus, per quae multum sanguinis, sanitate substante, diffunditur,

aa. Hepate.

bb. Liene.

cc. Utero.

d. Plenitudine.

B. Humores aquosi massae sanguineae, ob causas III. 1. C. recensitas, pro rata ratione adaucti.

2. Ruptura lymphaticorum vel lacteorum.

3. ——— hydatidum et saccorum.

II. Causae, quae absorptionem imminuendo tantum agunt :

1. Systema absorbens obturatum,

A. Concretis calculosis.

B. Valvulis in osseam naturam mutatis.

C. Glandulis lymphaticis scirrho laborantibus.

2. Systema absorbens compressum,

A. Ductus thoracicus,

A. Aneurismatis aortae.

B. Tumoribus per scirrum factis.

B. Lymphatica singularia, ob causas I. 1. A. A, b, ee positas.

3. Atonia systematis absorbentis facta,

A. Exanthematis repressis,

A. Variola.

B. Rubcola.

C. Scarlatina.

D. Erysipelate.

B. Scabie retropulsa.

III. Causae, quae, relaxationem et atoniam universam faciendocum exhalationem adaugent, tum absorptionem imminuunt :

1. Debilitas universa, a causis sequentibus proficiscens,

A. Potestatibus

## A. Potestatibus recta sedantibus,

A. Frigore.

B. Affectibus animum contristantibus.

C. Inertia.

D. Evacuationibus.

## B. Potestatibus indirecte sedantibus,

A. Morbis diu manentibus, vel violentis,

a. Febre continua.

b. — intermittente.

c. Phlegmasiis.

d. Exanthematis, II. 3. A.

e. Diarrhoea.

f. Dysenteria.

g. Arthritide.

B. Affectibus animi excitantibus.

C. Exercitatione vel labore violento.

D. Intemperantia.

E. Venere nimia.

F. Dolore intenso.

## C. Humoribus aquosis massae circumeuntis pro rata ratione adauctis,

A. Quantitate humorum aquosorum massae sanguineae justo copiosiore reddita,

a. Nimia humorum aquosorum quantitate in systema corporeum investa,

aa. Per ventriculum.

bb. — exhalantia superficiei externae.

b. Quantitate humorum aquosorum insueta in massa retenta,

aa. Ob perspirationem obstructam.

bb. — secretionem urinae imminutam aut suppressam.

B. Quantitate partium crassiorum diminuta,

a. Partibus crassioribus justo parcius progeneratis,

aa. Alimento quantitate deficiente, dotibusve vitiatum.

bb. Assimilatione parum perfecta.

aaa. Propter affectus viscerum chylopoeticorum.

bbb. — atoniam systematis vasculosi, ut in

α Chlorosi,

α Chlorosi,

β Scorbutoque forsitan incidere consuevit.

b. Partibus crassioribus a reliqua massa nimia quantitate separatis,

aa. Globulis rubris et glutine,

aaa. In activa haemorrhagia.

bbb. — passiva haemorrhagia.

α Abusu sanguinis detractionis.

β Vulneribus.

bb. Glutine solo,

aaa. In profluviis purulentis.

bbb. — morbis quibusdam,

α Catarrho.

β Diarrhoea.

γ Hypercatharsi.

δ Leucorrhoea.

ε Ptyalismo.

2. Debilitas loci propria, nascens

A. A paralyfi systematis partem tantum infestante.

De his autem omnibus ordine differetur.

I. *Causae, quae faciendo, ut effusio augeatur, solummodo agunt:*

1. *Exhalatio adaucta.*

Quo modo exhalatio perficiatur, nondum compertum habemus. Quidam e maximis hujusce seculi physiologis, ut Cullenus<sup>a</sup>, Monroius<sup>b</sup>, et Hallerus<sup>c</sup> partes a massa sanguinea, quae in ea sub forma magna ex parte eadem ante exstiterint, certim disjungi ac separari posuerunt. Hanc opinionem his firmamentum contendunt, quod humor secretus serum sanguinis, ut multa experimenta ostendunt, magnopere refert, quodque organa secretoria quaelibet ad arterias extremas defunt. Heusonius<sup>d</sup> iterum exhalationem pro exemplo secretionis habet. Hanc sententiam experimentis compluribus sustinet, quae, eo iudice, humorem, qui exhalare consuevit, a sero aliisve massae partibus, quae

<sup>a</sup> Institutions of medicine, § CCLXXIX.

<sup>b</sup> MS. lectures on surgery

<sup>c</sup> Elem. physiol. tom. 2. lib. vii. sect. 1. § 8. et lib. v. sect. iii. § 3.

<sup>d</sup> Experimental inquiry, vol. 2. p. 131.

ea, natura sua conservata, sine secretionem possunt separari, formaliter, si ita loqui liceat, differre probant. Fidem opinioni hinc comparare studet, quod calore facilius cogitur, aëri obscurus. Quinetiam ponit, mutationes non parvas actione vasorum extremorum sola, nullo organo fecernente interposito, esse inferri. Igitur non tantum exhalationem naturalem in hydropem augeri, sed morbidam secretionem incidere, existimat. Hoc forsitan notando sustentare potuisset, hydropem, si quantitas humoris exhalantis a statu circuitus sanguinei ex toto penderet, semper, si reditui sanguinis venosi obliteretur, esse oriturum; quod revera incidere non consuevit. Quanquam vero animus hanc opinionem non parum inclinat; attamen cum, ea recepta, varias hydropum causas positas nec in ordinem redigere, nec actionem earum exponere potuissim, exhalationem pro exemplo merae separationis, in paginis sequentibus, habui.

*A. Impetus sanguinis, praeter consuetudinem, vasa exhalantia verius factus.* Hic, ut major humorum quantitas ab iis effundatur, non difficulter faciet, portionem glutinis justo majorem ex iisdem forsitan expellet, et ita exhalationem augebit. Quinetiam atonia exhalantium nimia distensione prognerari, et ita exhalatio neque augeri, et etiam, causa primaria sublata, manere potest.

*A. Cum reditui sanguinis venosi resistitur.* Si hoc eveniat, sanguinis ex arteriis extremis in venas difficulter transibit; et igitur hoc modo agat, ut e nexu, qui arterias extremas sanguinem venientes inter et exhalantes intercedit, considerato non patere non potest<sup>2</sup>. Renixus autem hujusmodi esse potest vel universus locumve proprius.

*a. Cum totius sanguinis.* *aa. Affectibus cordis.* Quodcunque ne sanguis in ventriculos transeat cavet, aut contractionem eorum impedit, id effectum hujuscemodi edat necesse est. Cum hi in latere dextro semet ostendunt, vena cava protinus et manifeste obficiatur oportet. Caeterum, nonnullis in exemplis latere sinistro magna ex parte circumscribi reperimus. Rebus ita se habentibus, renixum venarum pulmonum, anasarcam pulmoneam morborum esse expectaremus, quod tamen non semper incidere solet.

Hunc

<sup>2</sup> Cl. Gregorii conspect. med. theoreticae, § 431.

Hunc autem hydropem universum eodem modo, sed magis indirecte per pulmones, excitare non ponere non possumus.

aaa. *Concretis in cavis ejusdem polyposis.* Haec ab omnibus pro causa morbi frequentissima fuerunt habita. Clarissimum Monroium casusque ab eo citatos adeas licet <sup>a</sup>. Hoffmannus <sup>b</sup> ad exempla septem relegat, et inquit, “ si meam ipsius experientiam licet proferre, ego plena fide testari possum, omnes fere, qui secundos curavi hydropicos, praeter viscera male constituta polyposa in corde ejusque vasis habuisse concreta.” Mihi tamen persuasum non habere non possum, polypos stricte dicto massas nempe carneas per vasa, quae iis nutrimentum suppeditant partibus continentibus adhaerentes, rarius semet ostendere. Nullo quidem modo concipere possum, subesse, praesertim in corde nisi perquam minutos, posse, et non vitam extinguere. Separatio glutinis sanguinis spontanea, quae saepissime mox ante mortem, vel sub articulo ejusdem, incidere consuevit, frequenter uti credo, pro vero polypo fuit habita.

Morgagnius illustris <sup>c</sup> exemplum polypi dextrae auriculae ventriculi insignis, et etiam complures alias causas positas, quae tamen nullus hydrops fuit subsequutus, posteris curavit prodendum.

bbb. *Materiae osseae formatione vel concretis calculosis.* Quin causae hujusmodi hydropem possint movere ambigi nequit, nisi casus a Monroio citati nobis e memoria exciderint <sup>d</sup>.

ccc. *Partibus contiguis pericardio ubique adhaerentibus* <sup>e</sup>. Haec vero non semper praestant. Etenim aliquando substituerunt, eoque quanquam morbo admodum favere visae sunt, eundem tamen non excitarunt <sup>f</sup>.

bb *Viti*

<sup>a</sup> Essay on the dropfy, ed. 3. p. 15. et 18. vide etiam Wepferi de apopleth. hist. cas. 13. Philosoph. transact. No. 207. et Mangeti Biblioth. med. praet. tom. 3. p. 319. Annotationes medicae MS. viri clarissimi Joannis Pringetii Equitis Baronetti, quae in bibliotheca C. R. M. E. conservantur, tom. 3. p. 7.

<sup>b</sup> Medic. Rationalis, sect. 14. de hydrope, thes. path. § 11.

<sup>c</sup> De Cau

et Sedibus Morborum, epist. xv. § 26.

<sup>d</sup> Monro l. c. p. 19. vide etiam

Philos. Transact. No. 336. No. 337. Morgagni l. c. epist. xxx. § 12. Hist. morbo. Wratislav. cura Haller. p. 45.

<sup>e</sup> Confer. Peyerii hist. anat.

med. cap. 6. p. 193. et auct. ib. 200 cit.

<sup>f</sup> Morgagn. l. c. ep. xxvii. §

et xlii § 34.

bb. *Vitiis pulmonum.* Cum sanguis universus e dextro cordis ventriculo in pulmones transeat, quilibet eorum affectus, qui evagationi ejus ventriculi oblitit, ad exhalationem augendam accommodetur necesse est.

aaa. *Partibus contiguis pleurae ubique adhaerentibus.* Hae in nullis hydrope extinctorum incisionibus fuerunt notatae, et, illo alio signo morbidio semet in conspectum dante, morbum facere existimatae<sup>a</sup>. Qua ratione vero agere possint, non clare video, nec ulla, cur hoc in loco commemorari debeant, causa esse videtur.

bbb. *Injuriis substantiae pulmonum ipsi illatis*<sup>b</sup>.

ccc. *Asthmate.* Signa, me judice, hoc in morbo minime deant, quae sanguinem, paroxysmo aegrotum torquente, in pulmones aegre diffundi, clare evidenterque probant. Igitur ortus hydropis facile potest exponi, notione Bagliviana aliorumque, si venam cavam contractione diaphragmatis spasmodica committi existimant, repudiata. Compressionem quidem hujusmodi toto, uti opinor, praecavet structura illius musculi admirabilis. Exempla autem morbi, quae ab asthmate recta proficiuntur, vel cum eo conjunguntur, semet ostendisse exploratum habemus<sup>c</sup>.

Pulmones quidem saepe, magnopere laesi, pleurae ubique, nulli hydrope substante, adhaerere reperiuntur<sup>d</sup>. Caeterum hydropem ab asthmate tam raro oriri, multi, et non sine causa, medicis fuerunt mirati. Exemplum asthmatis, quod longum haerens spatium, perquam insigne mihi commemoravit vir eruditissimus

†

B

tissimus

<sup>a</sup> Heurnii Obs. 19. Jo. Rhodii Man. Obs. 10. et Milman. Animadversiones Hydrope, p. 42.

<sup>b</sup> De Flaënni Rat. Med. tom. 2. cap. 9. § 2. Tulpii lib. 2. cap. 16. Miscel. n. c. An. 4. obs. 3. Guarinoni Consilia, 398. Philosoph. Transact. No. 29. Med. Essays, vol. 2. § 22. Med. Musaeum, vol. 3. p. 76. Boneti Sepulchret. Anat. lib. 2. sect. 1. obs. 41.

<sup>c</sup> Annotationes MS. Pringelii, tom. 3. p. 65. tom. 9. p. 324. Hoffmann. l. c. enarrat. morb. obs. 9. Consult. et Respon. cent. 1. sect. 2. cas. 93. Milman. l. c. p. 8. Philos. Transact. No. 336. et Nova Acta. n. c. tom. 2. p. 1. confer etiam Allen's First Lines, § 1386.

<sup>d</sup> Morgagni l. c. epist. xv. § 25. et 26. lib. xviii. § 30. Ep. xvi. § 15.

tiffimus celeberrimusque Gregorius, in quo nihil hydrophis, nisi per pauculos ante mortem dies, apparuit.

b. *Cum partis sanguinis.* aa. *Positura corporis.* Vir mihi amicus et ingeniosus, Dr Clerk<sup>a</sup> posuit, genus hydrophis singulare hydrocephalum nempe, per posituram capitis inter cubandum nimis humilem posse moveri; quod quidem non improbabile. Nullum vero exemplum adhuc offendi, quod huic causae clare potuit referri. Aliis causis quidem positura adjuncta, ut in quibusdam artificibus videre est, potenter agit. Quomodo effectus suos edat, neminem potest latere. Morbo semel orto, plurimum attentionis sibi vendicat, et inde multa phaenomenorum possunt explicari.

bb. *Hepate schirro laborante.* Quo nihil iterare cogar, effectus diversos, quos haec causa possit edere, quatenus cum hydrope conjunguntur, hic considerare mecum decrevi.

1. Cum universus fere sanguis, quem arteriae caeliaca et mesentericae vehant, per venam portarum redeat, et in hepar diffundatur, schirrus hujusce visceris transitui ejus sanguinis obstitat, et, ut plus justo humoris ex hisce arteriis extremis effundatur faciendo, ut hic posuimus, agat necesse est.

2. Cum arteriae hepaticae non parum magnitudinis habeant, quaelibet circuitui sanguinis in illis obstantia, ut I. 1. A. B. c. agent, et forsitan, quod sanguini quoque per venam portarum redeunti obstititur, effectus hujusmodi majores edent.

3. Schirrus hepatis, ob situm, venam cavam pressura afficiat, et ita, ut I. 1. A. A. b. ee. exhalationem ex emulgentibus iliacisque extremis adaugendo, agat, et forsitan, ductum thoracicum quoque urgendo, ut II. 2. A. operetur oportet.

4. Cum ratio gravissima sit, cur bilem concoctioni alimenti et assimilationi necessariam esse credamus, potestate fecernente, quae hepar praeditum est, imminuta, bilis vel quantitate deficiens vel dotibus vitiata et corrupta fecernetur, et ita, ut III. 1. C. B. a. bb. aaa. aget. Insuper vero causae, quae vulgo schirrum excitare posita sunt, omnes ad unam tales sunt, quales ad hydro-

pepi

perem prognerandum accommodantur; quod quidem frequenter praestant. Hoc ex enumeratione earum, in Conspectus Gregoriani § 746. elegantissima constat.

In exemplis paucissimis clarius percipi potest conditionis corporis vitiatae, qua morbus movetur, actio, et ex omnibus hydropis causis, quae positae fuerunt, haec frequentissima est. Adeo crebro commemorata fuit, ut parum necessarium ad exempla singularia duxerim relegare.

Ex hac effectuum ejus enumeratione, schirrum omnibus in casibus hydropem progneraturum esse, sperares. Incisiones vero, meo judicio, hepar saepe magis, quam in his exemplis, ubi pro causa morbi fuit habitum, et non paucis quoque, quae ortui hydropis favebant, substantibus, laborare ostendunt; et “nihil tam men lymphae in tumido ventre,” ut verba clari De Haën<sup>a</sup> adhibeam, quanquam in casu qui illi ob oculos obversabatur, “je- cur erat monstrosae molis, et pluribus veluti schirris obsessum.” Cum res ita sese habeat, nihil obstat, quo minus notitiam causarum morborum, quam adhuc attigerimus, admodum imperfectam esse concludamus. Multi casus, qui modo proposita firmant, ex operibus Morgagnianis facile possent proferri. Exemplum quoque sequentia iisdem fidem facere non existimare non possum<sup>b</sup>. Apud Bontium compluria hoc genus, ni fallor, reperiunda sunt. Lysson clarus<sup>c</sup> duo posteris quoque prodit, et<sup>d</sup> acceptorum a quodam Craufordio mentionem injicit, in quibus 28 sunt, quae idem probandi causa possunt adduci. Vir ingeniosus Dr Gregorius casum mihi retulit, ubi hepar eo usque fuit adauctum, ut libras sedecim pondere adaequaverit, et propemodum cartilaginofum evaserat; quantitas vero humoris admodum  
exigua

<sup>a</sup> Ratio medendi, tom. 2. cap. xvi. p. 283.      <sup>b</sup> Ephemerid. de Curieux, Dec. 2. An. 6. 1687. obs. 203. Nova Acta, n. c. tom. 6. obs. 27. et 60. Commercium Lit. Norimb. An. 1734, hebdom. 44. Acta Hassnensia, An. 1671-2, obs. 95. De Haën, l. c. tom. 2. cap. vii. p. 101. tom. 3. p. 4. Tissot. Epist. ad Zimmerman. apud Sandifor. Thesaur. tom. 1. p. 74. Recueil d'Observations par Richard de Hautefierk, tom. 2. p. 586. Lind on Hot Climates, p. 92.

<sup>c</sup> Essay on the Dropsy, Diseases of the Liver, &c. Ed. 1772, p. 119. et 121. l. c. p. 124.



exigua in cavum abdominis confluxerat. Cullenus quoque celeberrimus me de quodam hydropis exemplo certiore fecit, quod per gangraenam scroti et rupturam ex toto fuit depulsus. Multos post annos alio morbo extinctus est aegrotus, et hepar, cadavere inciso, schirro laborare repertum est, admodum durum et magnitudine imminutum. Hic causa agere perrexit; morbus tamen sublatus est, et non postea repetivit. Vir ingeniosus mihi in primis dilectus, Andreas Fyfe, se hepar magnopere affectum, nullo hydrope praesente, frequenter offendisse affirmat. Quinetiam de casu cujusdam juvenis meminit, in quo hepar exiguum, durum, schirro laborans, racemos uvarum specie referens hydrope absente, repertum.

cc. *Tumoribus in tunicis certarum venarum formatis.* Quomodo hi agant, manifestum est. Cullenus cel. suis in praelectionibus casus hujuscemodi mentionem facit, ubi tumor venarum jugularium tunicas tenebat. Nullus alius huic similis mihi adhuc semet ostendit.

dd. *Concretis polyposis in cavis venarum singularium sitis.* Si talia unquam semet in conspectum dederunt, alicui eorum huc haud dubie referri debet. In casu a Milmanno<sup>a</sup> commemorato, in quo hoc incidisse fertur, aliae causae morbidae fuerunt, quae morbum excitare facile potuerunt.

ee. *Venis quibusdam externe compressis.* Effectus hujus manifesti sunt, et quaedam experimenta, quam veri certique sint, monstrandi fuerunt instituta. Experimenta Loweri<sup>b</sup> in vena cava et jugularibus canis facta notissima sunt, et a Peyero<sup>c</sup> fuerunt reiterata eodem cum successu. Quanquam haec experimenta omnem dubitationem tollere videntur; non desuerunt tamen, quae ea pro parum certis habuerunt. Nonnulli contenderunt effusionem, vasis lymphaticis, quae venas plerumque comitantur, a ligatura liberis relictis, nullam incidere solere. Morgagnius<sup>d</sup> huic opinioni favere videtur; et Heusonius<sup>e</sup> asserere non dubitat,

<sup>a</sup> L. c. p. 138.

<sup>b</sup> Tractat. de Corde, cap. 2. p. 117. et seq.

<sup>c</sup> Hist.

Anatom. Med. cap. 6. p. 214.

<sup>d</sup> L. c. epist. xix. § 32.

<sup>e</sup> Experi-

mental Inquiry, part 2. p. 141.

at, se experimenta eadem in venas jugulares frequenter instituisse, vasis lymphaticis ab iis semper curiose disjunctis, sed nihil humoris unquam semet effudisse. Idem, eadem quoque cura adhibita, in vena cava expertus est; periculum vero factum voci minime respondit, canis enim hora dimidia animam exhalavit. Quinetiam, ut lector experimenta Swieteniana<sup>a</sup> idem proferendi consilio facta adeat, suadet. In his vero, nisi admodum allor, carotides una cum venis ligatae fuerunt. Quomodo vincula autem venis injecta agant, adeo clarum et evidens est, ut, sine judice, vix dubitari possit, quin effectum iis vulgo tributum reddere valeant. Experimenta tamen Heufonii nimium causas morbi, quae mechanicae possunt appellari, fuisse tributum non obscure demonstrant. Ob viciniam truncorum lymphaticorum, nihil ob stare videtur, quominus causas hic recensitas aliqua ex parte, ut II. 2. agere posse ponas.

aaa. *Visceribus schirro affectis adjacentibus.* Quanquam actionum aliqua ex parte huc referenda est; animum tamen in singulis ea spectantibus considerandis ad majus minusve functionum momentum, et ad statum circuitus sanguinis in iisdem, attendere oportet.

*α Hepate.* Quae ad hoc attinent, ea jam considerata.

*β Ventriculo.* Cum schirro laborat, ad hydropem movendum hoc modo non nihil conferre potest; sed a munere, quo fungitur, impedito, ut III. 1. C. B. a. agente, effectus multo majores proficiscuntur. Monroius cel.<sup>b</sup> casus hujusmodi meminit, et<sup>c</sup> se multos alios vidisse affirmat. Pylorum saepius, quam ullam aliam ventriculi partem, schirrus infestare consuevit. Hoc vitium causis morbi saepe fuit annumeratum; nullum tamen exemplum, quod hinc plane oriretur, notavi.

*γ Pancreate.* Cum hoc morbidum hydropem excitat, actionem ejus huc potissimum referendam duco; quoniam functio, quam exercet, non protinus oeconomiae animali necessaria esse videtur.

<sup>a</sup> Comment. in Boerh. Aph. tom. 1. p. 266.

<sup>b</sup> L. c. p. 16. vide etiam

Morgagni l. c. epist. xxix. § 6.

<sup>c</sup> L. c. p. 15.

videtur. Exempla quaedam morbi ab hac causa proficiscē  
infra videbis <sup>a</sup>.

δ *Liene*. Hunc vix unquam hoc modo agere posse existim  
igitur effectus ejus non in praesentia, sed postea, I. 1. A. B  
considerabo.

ε *Reie*. Dexter, schirro laborans, potissimum adauctus,  
modo facile aget. Sinister idem praestare potest, si mole m  
tum increvit. Insuper, si uterque laborat, vel si justa ur  
quantitas, ob affectum alterius, non secernitur, effectus III. 1.  
A. b. commemorati quoque; et, ob magnam sanguinis quan  
tatem, quae in eos naturaliter diffunditur, I. 1. A. B. c. po  
aliqua ex parte, oriri possunt. <sup>b</sup> De casu hujusmodi in prae  
lectionibus suis meminit illustris Monroius.

ζ *Gaeo*. Cum morbum movet, hoc modo potenter actur  
esse probabile est. Functio quoque totius canalī imminuta, q  
vitium hujus comitetur necesse est, aliquos effectus, ut III. 1.  
B. a. edet <sup>c</sup>.

η *Utero*. Si schirro laborat, potissimum si magnitudo ei m  
tum adaugeatur, hoc modo aget. Effectus forsitan I. 1. A.  
positi, actioni ejus auxiliari possunt <sup>d</sup>.

Hic notare conveniet, schirrum unius visceris rarius, sed d  
rum pluriumve plerumque, semet ostendere solere, adeo ut m  
bum effectibus unius eorum referre nequeamus. Schirri ipsi p  
rumque pro effectibus causae ejusdem, quae morbum facit, hal  
ri possunt <sup>e</sup>.

Non difficile foret in medium proferre exempla, ubi schir  
non levis omnia haec viscera occupavit; et nihil hydropis tam  
accessit. Unum ubi pylorus affectus fuit, et hydrops non su  
fecutus est, offendi. Aliud perquam insigne in praelectionib  
suis memorat doctus Gregorius <sup>f</sup>. Amicus meus, Andreas Fy  
exem

<sup>a</sup> De Haën. l. c. tom. 2. cap. 3. p. 49. Tulpīi Observ. lib. 2. cap. 33 et  
et Milman. l. c. p. 38.

<sup>b</sup> Memoires de l'Acad. des Sciences, An. 17  
Histoire, p. 42. et Bonet. l. c. tom. 2. p. 448.

<sup>c</sup> Recueil d'Observ.  
Richard, l. c. tom. 2. p. 503.

<sup>d</sup> Medical Essays, vol. 3. § 28.

<sup>e</sup> Vogel, de Hydropē saccato apud Sandifort. Thes. tom. 1. p. 475. et Wepfer.  
Apoplexia, p. 373.

<sup>f</sup> Vide etiam Morgagni l. c. epist. xxx. § 14.

empli mentionem facit, ubi ren dexter magnopere fuit adau-  
 catus, et una cum massa schirrofa ei adjuncta 46 libras, nullo hy-  
 drope substante, adaequavit. Exemplum schirri caeci eo, qui  
 pro morbum facere positus est, majoris, hydrope ex toto ab-  
 ate, a Richardo<sup>a</sup> refertur. Multa alia e Morgagnio et Boneto  
 offerri possent.

bbb. *Aneurismatis.* Haec autem hoc modo agere, hinc, quod  
 magna arteriae venis vicinae sunt, clare constat. E situ trun-  
 cum lymphaticorum effectus, II. 2. memorati, profluent, et  
 in arteriarum morbida aliquid praestare forsitan valebit. Ca-  
 morbi ab hoc fonte manantis infra videre est<sup>b</sup>. Aneuris-  
 mata vero saepe oriuntur nulloque hydrope stipantur<sup>c</sup>.

ccc. *Tumoribus per steatomata factis.* Hos forsitan sub capite  
 tumorum in saccos inclusorum fatis apte potui considerare; cum  
 pro Monroius cel. in praelectionibus suis de re chirurgica nota-  
 rit, integumenta horum non saccos justos esse, sed e tela cellu-  
 la circumdata tantum condensata plane constare, eos separatim  
 equi decrevi. Cum nonnullis in exemplis admodum ampli,  
 et saepe etiam 40 exaequant, fuerint reperti, actio eorum a mole  
 sua, ut hic posuimus, nimis premente, vel functionem visce-  
 rum vicinorum impediendo, magna ex parte pendeat oportet.  
 In thorace<sup>d</sup>, omento<sup>e</sup>, et prope uterum<sup>f</sup>; sed longe saepissime  
 in mesenterio<sup>g</sup>, fuerunt reperti. Apud Sauvagesium, ubi species  
 hydropum diversae recenset, casus multos notamus, quos nullus  
 drops stipavit.

ddd. *Tumoribus in saccos inclusis.* Huc referenda sunt exempla  
 sarcae, quae hydropem ovarii, peritonaei, et hydatides exci-  
 unt. Casus vero, cum semet tam frequenter ostendant, addu-  
 ce supervacaneum duco. In mesenterio amplos tumores fac-  
 cis

<sup>a</sup> L. c. tom. 2. p. 501.

<sup>b</sup> Nova Acta, n. c. tom. 1. obs. 1. et Med.

<sup>c</sup> and Inquiries, vol. 3. p. 14.

<sup>c</sup> Morgagni l. c. epist. xxvi. § 11.

<sup>d</sup> . xl, § 26.

<sup>d</sup> La Motte Traité Comp. de Chirurg. tom. 2. p. 186.

<sup>e</sup> Med Essays, Edin. vol. 4. § 30. p. 343. De Haën, l. c. tom. 2. cap. 2. p. 17.

<sup>f</sup> Monro, l. c. p. 17. et Peyer. Parerg. 6. op. p. 247.

<sup>g</sup> Blancard. cent.

<sup>g</sup> o. 37. Cent. 2. No. 30. Tulpii Obs. lib. 2. cap. 25. Nova Acta, n. c.

<sup>g</sup> I. obs. 92. p. 366. Nova Acta Phys. Med. n. c. tom. 5. obs. 44. De Haën,

<sup>g</sup> tom. 1. cap. 20. p. 127. et tom. 3. p. 22.

cis inclusos, qui hoc modo agunt, offendimus<sup>a</sup>. Non semper vero hunc effectum edunt. In illo casu insigni, qui in Transactionibus Philosophicis<sup>b</sup>, uti appellantur, memoriae proditur, quae per annos 33 manserat, et in quo, quod magnopere mirandum, 264 librae humoris in sacco per pelvim renis dextri formato repertae sunt, nihil anasarcae apparuit.

eee. *Humoribus effusis.* Si in ascite saccisve ruptis anasarca progeneratur, ortus ejus hoc modo explicandus est. Huic forsitan aliquid tribuendum, quod humores effusi viscera debilitant. Hos frequenter, sed minime semper, anasarca subsequitur.

fff. *Abscessibus.* Horum actionem huc referre possumus. vero effectus eorum diversos accurate cognoscere velimus, ad circumstantes singulares in unoquoque casuum positorum animum advertere necessarium erit. Huc, quamvis, me iudicium idonee, nonnullos morbi casus, a phthisi proficiscentes, refert cl. Monroius<sup>c</sup>. Lieutaud<sup>d</sup> duos casus commemorat, qui re minime alieni sunt; sed non adeo accurate depinguntur, ut aliquid de modo operationis eorum pro certo statuere possimus. Postea<sup>e</sup> trium casuum similibus, et etiam graviorum, sine hydrope vero, mentionem facit. Si pus e glutine potissimum, experimenta Gaberi<sup>f</sup> demonstrare videntur, formatur, effectus eorum, ut III. 1. C. B. b. bb. permagni sint oportet.

ggg. *Utero gravido.* Graviditate proveciore, oedema pedum admodum frequenter semet ostendit. Anasarcam universam et ascitem<sup>h</sup> quoque ab hac causa fuisse profecta, exempla infra allata probant. Experientia vero quotidiana hunc effectum graviditatem haudquaquam constanter subsequi testatur. In illotiam casu hydrometrae mirando<sup>i</sup>, in quo 180 librae humoris utero continebantur, nec ascites, nec anasarca orta est.

Nu

<sup>a</sup> De Haën, l. c. tom. 1. p. 285. et Horst. op. tom. 2. lib. 2. ob. 4. b V  
44. No. 482. <sup>c</sup> L. c. p. 17. <sup>d</sup> Historia Anat. Med. lib. 1. c.

1647 et 1648. <sup>e</sup> Ib. obf. 1684, 1685, 1686. <sup>f</sup> Miscel. Taur.  
tom. 2. p. 80. <sup>g</sup> Puzos Traité des Accouchemens, p. 82. Lister

Morb. Chron. cap. de Hydrope, cas. 10. <sup>h</sup> Hoffmann. Med. Rat. §  
xiv. de Hydrope Thes. Pathol. § 19. <sup>i</sup> Vesal. tom. 1. lib. 5. cap. 9.

Num exempla morbi, quae a balteo abdomini arctius circum-  
 lato proficiscuntur, ut in domitore equorum a Slevogt<sup>a</sup> citato,  
 accidit, huc possunt referri? An thoraces corporibus mulierum  
 nimis arcte applicati in causa sunt, cur morbus in illas, quam in  
 vires, frequentius invadat? Hoc aequè probabile est, ac notio  
 Bogeliana<sup>b</sup>, aërem nempe ad abdomen earum libere adspiran-  
 tem, propter formam vestimentorum, causis morbi accenseri de-  
 bere. Parum vero causae esse videtur, cur rem ita sese habere  
 conamur.

*B. Cum impetus sanguinis arteriosi intenditur.* Hoc non pa-  
 rum anceps esse, cum effectus ejus minime clare percipi possint,  
 non invitus confiteor. Sub hoc capite tamen complures causae  
 collocari, et actio earum aliqua ex parte exponi potest. Propter  
 hanc rationem, id tabulae inferendum putavi, et effectus ejus  
 hinc considerabo.

Quo functiones corporis diversae rite peragantur, aequilibrium  
 certum et definitum impetum sanguinis in arteriis extremis inter  
 renixum in venis vasisque exhalantibus intercedat necesse est.  
 Quas causas hucusque comprehendimus, eae omnes aequilibrium  
 supra positum perdendo agunt. Si igitur impetus sanguinis in  
 arteriis eousque adaugeatur, ut sanguis universus facilem in ve-  
 nis sibi transitum reperire nequeat, cursus adauctus exhalantia  
 versus fiat, et exhalatio copiosior evadat necesse est. Ita quoque  
 quantitas glutinis nimia ex vasis exhalantibus expelli, exhalantia  
 ipsa praeter naturam mechanice distendi, et atonia eorum cum  
 venis ejus sequelis moveri, possunt.

Praeterea, si potestates, quae circuitum sanguinis in venis pro-  
 movent, eodem tempore non augeantur, sanguis in iis congera-  
 tur, et, gravitate sua in venis ascendentibus, renixum in finibus  
 eorum intendat, et, ut I. r. A. A. b. aa. agat oportet. Hoc po-  
 tissimum incidere periclitabitur, cum, propter aetatem protractio-  
 nem, plenitudo venosa naturaliter dominatur.

a. *Pblegmatis.* Satis manifestum esse existimo, impetum san-  
 guinis

† Dissert. de infelici hydropis saccati curatione, extat cum disput. me l. pract.  
 leri, tom. 4. p. 303. \* Diss. antea cit. p. 477.

guinis in extremis arteriis in omni inflammatione multum a  
geri; hydrops tamen eundem excipere raro solet. Forsitan ne  
alienum foret, in res circumstantes singulares inquirere, quae  
hisce paucis exemplis, ut exhalatio aucta incidat, faciunt. Hi  
vero in praesentia desistere cogor. Dicere sufficiat, hasce  
circumstantes fere solum in cavis corporis, quae membrana con-  
tinua succingit, rarius, si unquam, in tela cellulosa, praeterquam  
in exemplis a Storkio<sup>a</sup> citatis, quae dubia esse videntur, fuisse  
notatas. Hydrocephalum internum ab hac causa oriri<sup>b</sup>, hydro-  
phthalmiam<sup>c</sup> et hydrothoracem<sup>d</sup> quoque inde proficisci  
ostendunt exempla infra prolata. Idem demonstrant hydrotho-  
racis duo exempla<sup>e</sup>, quae in cubiculis nosocomii regii Edinen-  
sibus, anno superiore, semet ostenderunt, in quibus ad mor-  
bum excitandum nonnihil contulisse haec causa visa est. In  
nestis enteritidis casibus nonnihil effusionis offendere solemus.  
Rem ita sese habere in cadaveribus incidendis semel bisve repe-  
ri. Huc casum hydroceles a Monroio cel.<sup>f</sup> commemoratum refer-  
endum puto.

b. *Haemorrhagiis suppressis.* Hae pro causis habitae fuerunt,  
actio earum hoc modo illustrari potest. Saepius vero sanguis  
in aliis systematis partibus profusiones excitant, et plerisque  
exemplis quidnam in causa sit, cur unum potius quam alterum  
incidat, aegre percipi potest. In omnibus forsitan causae sup-  
pressionis, quam suppressioni ipsi, aptius morbum tribueres.

aa. *Haemorrhoides.* Exemplum<sup>g</sup>, ubi morbus ab hac causa pro-  
fectus est, infra videndum. Hoffmannus quoque<sup>h</sup>, auctoritate  
Dionis Cassii innixus, memorat Imperatorem Trajanum morbum  
propter hanc causam, fuisse implicatum.

bb. *Mensib*

<sup>a</sup> Dissert. de Arthritide et Rheumatismo.

<sup>b</sup> Quin. diss. inaug.

Thef. Med. Ed. tom. iv. p. 145.

<sup>c</sup> Blanchard. Opera, tom. 2. c.

13.

<sup>d</sup> Sauvag. Pleuritis hydrothoracica. Mem. de l'Acad. Roy.

de Chirurg. tom. 2. p. 549. Senac Traite du Coeur, lib. 14. cap. 5. Rec.

par Richard, l. c. tom. 2. p. 388. ib. p. 422. et ib. p. 597. Monro l. c. p.

et p. 44. Morgagni l. c. ep. xx. § 34. 35. 36. et Annotation. MS. Pring.

tom. 4. p. 385. tom. 7. p. 37.

<sup>e</sup> M<sup>rs</sup> Beth et Thompson.

p. 12.

<sup>g</sup> Forst. Opera. lib. 19. ob. 39.

<sup>h</sup> l. c. Theses p.

bb. *Mensibus*. Morbum ab hac causa interdum oriri, testantur exempla infra <sup>a</sup> citata. Quam proprietatem Sydenhamius sagax olim <sup>b</sup> notavit, ea in nonnullis ex hisce casibus semet ostendit; tumores nempe, morbo hysteriae obnoxias invadente, nullum digiti illis appressi vestigium retinuerunt.

cc. *Lochiis* <sup>c</sup>. Nimium huic causarum speciei tributum fuisse suspicor.

c. *Visceribus schirrho laborantibus, per quae multum sanguinis, sanitate substante, diffunditur.*

Effectus hujus causae admodum ancipites esse videntur; eam igitur hoc in loco tantum, ut quod incidere possit, quodque aliis adjunctum ad morbum movendum nonnihil forsitan conferat, comprehendere. Effectibus nonnullorum viscerum, quorum morbi hydropem facere positi fuerunt, jam consideratis, proximum est, ut varios effectus, qui a reliquis morbidis, potissimum schirrho laborantibus, proficisci solent, exequendos suscipiam.

bb. *Liene*. 1. Arteria splenica pro rata portione admodum ampla est <sup>d</sup>. Hinc quodcumque sanguinis in ea cursui obsistit, id, ut quantitas ejus major in alios caeliacae ramos, et forsitan in arterias mesentericas, diffundatur faciet. Si vis cordis et articularum eadem maneat, impetus sanguinis in finibus harum, et exhalatio igitur, ut hic ponitur, augebitur.

2. Cum sanguis universus ejus ad venam portarum per venas, quae magnam hujus partem constituunt, mittatur, eum hepatis functionibus plurimum infervire, non sine ratione gravi, semper fuit existimatum. Si igitur schirrho praeditus sit, ratio non deest, cur secretionem bilis aliqua ex parte imminutam esse, et sequelas supra comprehensas plus minusve inductas esse ponamus.

3. Si mole multum adhaerens descensum septi transversi liberum impediat, respirationem difficilem efficiet, et ita effectus I.

1. A. A. a. bb. positos aliqua ex parte edet. Quinetjam viscera contigua

<sup>a</sup> Forest. Opera, lib. 19. ob. 34. Sauvages. Anafarea periodica, et Anafarea menosthasia. Hoffman. l. c. Enarrat. morb. obs. 1. Heuson, l. c. tom. 2. p. 197.

<sup>b</sup> Oper. Lipsic. ed. p. 490. et Pomme Traité des Vapeurs, ed. 2. tom. 2. p. 438.

<sup>c</sup> Acad. de Sciences, An. 1702. Mem. p. 285. et An. 1728. Mem. p. 583.

<sup>d</sup> Halleri Prim. Lin. § 677.



contigua nimia pressura afficiendo, functiones eorum impedire, et ita varia praestare potest. Non defuerunt quoque, qui fuerunt opinati, nonnullis in exemplis eo usque augeri posse, ut cavam premere queat. Si vero e situ hujusce venae liceat judicare, hoc rarius evenire posse existimo.

4. Si notionem usus ejus Heufonianam<sup>a</sup> recipiamus, quae, me judice, non admodum probabilis est, effectus ejus, III. 1. C. B. notati, etiamnum multo majores esse reperientur. Hisce supra comprehensis inductus, schirrum lienis causis hydropis accensendum puto, praesertim cum in monumentis medicinae<sup>b</sup> compluria exempla reperiunda sint, in quibus ad morbum excitandum non parum contulisse visus est, et in quibus nullo hepatis affectu stipatus. Responderi quidem potest, eum his in exemplis morbum fortuito tantum fuisse comitatum, et igitur non pro causa haberi oportuisse. Me vero probabile effecisse opinor, idem de omnibus reliquis causis, et etiam de hepate ipso schirro laborante, dici posse. Casus, ubi lien schirro magnopere fuit affectus, nullo hydrope semet ostendente, proferre omnino supervacaneum esse existimo. Eos frequentissime incidere, omnes una voce fatentur.

d. *Plenitudine.* Haec pro causa morbi fuit habita, et nonnullis quidem in casibus eum magna ex parte fecisse videtur<sup>c</sup>. Utrum vero effectus ejus huc necne referri debeant, statuere non audeo. Hoc ut verum Camus<sup>d</sup> sibi assumpsit, quantitatem partium massae sanguineae aquosarum, plenitudine substantive, pro rata ratione augeri. Si res ita sese habeat, ad III. 1. C. A. attinet. Nulla vero doctrinae suae documenta clara protulit. Hoc non silentio praetereundum ducó, plenitudinem cum debilitate systematis

<sup>a</sup> Experim. Inquiry, vol. 3.

<sup>b</sup> Monro l. c. p. 15. Recueil par Richard l. c. tom. 2. p. 629. Ephemerid. n. c. cent. 1. 2. ob. 168. Commerc. Literar. Norimberg. An. 1734. Heb. 25. No. 2. cas. 3. Peyer. Paterg. 5 Oper. p. 238. Acta Hassnensia, An. 1671, 2. Ob. 89. Morgag. l. c. epist. 38. § 19. Nuck. Adenograph. cap. de Hyd. peritonaei, et Riverii Obs. com. iv. a Hoffmanno cit. l. c. Thes. Path. § x.

<sup>c</sup> Recueil par Richard. l. c. tom. 2.

p. 418. etiamque ib. p. 420.

<sup>d</sup> Quacst. Med. Parisin. An. 1743.

matis saepe conjungi vel ab eodem progenerari<sup>a</sup>. Hoc confesso, effectus ejus facillime poterunt intelligi.

Quo omnem verborum iterationem, quantum in re hujusmodi fieri possit, fugiam, B. donec in varios ejus effectus causasque III.

C. plenissime inquisivero, non attingere decrevi.

2. *Ruptura lymphaticorum vel lacteorum.* Quanquam e viribus tunicularum eorum, quae liquoribus aliisque in ea immixtis plane demonstratur<sup>b</sup>, et e facilitate, qua vulnera eorum ad sanitatem deducuntur, cui multum luminis offuderunt experimenta illustris Monroii, rupturam eorum morbum tam saepe facere non speras, quam e tenuitate tunicularum, primo intuitu, conjiceret; profusa tamen etiamnum habenda, et ei, me judice, referendi sunt non tantum casus a Monroio cel. in pagina 22 citati, sed ii quoque, quos externis injuriis factos in pagina 12 commemoravit, quosque a debilitate loco propria oriri existimavit. An casus Willifianus, in Pharmac. Ration. p. 2. sect. 1. cap. 13. comprehensus, huc relegari debet?

3. *Ruptura hydatidum et saccorum.* Natura hydatidum, quantum judicare possum, tenebris obscurissimis adhuc involuta esse videtur. Qui varias opiniones de his cognoscere volunt, Morgagnii opera adeant<sup>c</sup>. Qualiscumque earum natura sit, eas morbum saepe excitare compertum habemus, et effusiones maxime, quae memoriae produntur, ab hac causa profectae fuisse videntur<sup>d</sup>.

II. *Causae, quae absorptionem imminuendo tantum agunt.*

Quamvis absorptio imminuta causis hydropum semper annuerata fuit, ad eam tamen rite attenteque considerandam animum non satis adjunxisse videntur medici. Rationibus vero sequentibus

<sup>a</sup> Cl. Gregorii l. c. § 508. et Annot. MS. Pringelii, tom. 2. p. 34.

Heuson. l. c. tom. 2. cap. 2. p. 113. et Sheldon's History of the absorbents, lib. 1. cap. 2. p. 24.

<sup>c</sup> l. c. ep. 38. § 38. conf. etiam Philosoph. Transf. An. 1691, No. 193. § 6. Pallas de insectis viventibus intra viventia, ad Sandifort. Theaur. tom. 2. p. 247. et Cullen's First Lines, § 1662.

Vid. casus a Monroio cel. cit. l. c. p. 27. n. Philos. Transf. An. 1784, p. 471. Morgagnii. l. c. ep. xxxviii. § 69.

quentibus motus adducor, ut credam statum absorbentium attentionem singularem et accuratam sibi merito vindicare.

1. Causa minime deest, cur nobis persuasum habeamus, causa exhalationis adauctae positas saepe agere, et ut quantitas humoris insolita effundatur facere, et nihil ejusdem tamen in quocumque cavo praeter consuetudinem accumulari. Hoc nihil aliud potest praecavere, quam natura absorbentium actuosa.

2. E Musgravii aliorumque experimentis, humorem largum congestum viam sibi in massam sanguinis, absorbentibus actione naturalem retinentibus, brevi esse reperturum, et e corpore diversa secermentia et excernentia expulsum iri, abunde constat. In uno experimento <sup>a</sup> unciae aquae viginti quatuor in thorace caninum injectae fuerunt, et spatio quinque dierum ex toto absorptae, et per renes e systemate expulsa.

3. Operatio multarum e causis hujusce morbi, ut harum II et III. memoratarum, per vitium absorbentium multo clarius poni potest.

4. Non parva principii vivi et irritabilitatis portione absorbentia praedita sunt. Hoc, *1mo*, e structura eorum fibrosa, qua Heusonio claro <sup>b</sup> demonstratur, manifeste apparet. Idem praelectionibus suis demonstrat ingeniosus Cruickshanks <sup>c</sup>. Et autem structura irritabilitati evidenti adjuncta omnem fere dejectionem, judicio plurimorum, de natura eorum musculari lere videtur. *2do*, Huic autem accedunt, quae, uti existimo, naturam muscularem et vim tunicis eorum inesse plane demonstrant, experimenta et observationes Hallerianae, qui experimentis, quae fecerat, et effectibus, quos aer frigidus in ea edat, tatis inductus, quae infra <sup>d</sup> scripta sunt memoriae tradit; dolor inflamm

<sup>a</sup> Philof. Transact. Abrid. vol. 3. p. 79.

<sup>b</sup> Exper. Inquiry, v

p. 121. confer etiam Sheldon's History of the Absorbents, part I. chap. 26. et seq. ubi tunica eorum musculosa plane monstratur.

<sup>c</sup> W bottom diss. inaug. de Vasis Absorb. apud Thef. Med. tom. 4. p. 263.

<sup>d</sup> In Oper. Min. tom. 2. p. 379. " His experimentis, etiamsi ab effectu

" norum chemicorum recesseris, et ex sola evacuatione vasorum lacteorum

" plena fuerant, conficitur, vim contractilem valde efficacem his minimis

" inesse, quae vel a solo frigore irritata, omnem liquorem contentum expr

inflammatio in totum eorum decurfum, ulcusculis venereis can-  
crifve fubftantibus, diffusa; obfervationes et experimenta Mon-  
diana in pifces inftituta<sup>a</sup>.

Igitur aliqua ex parte omnibus, quae in fyftema totum agant,  
b eum confenfum nexumque univerfum, qui inter omnes ejus  
partes diverfas intercedit, afficiantur oportet. Rem autem ita  
efe habere, meo judicio, clare demonftrat ftatus abforptionis,  
valetudine commoda vel incommoda praefente, longe diverfus.  
In febricitantibus, ex. gr. ubi magna debilitas fubeft, vix aliquid  
in ventriculo abforberi, fi cum ftatu abforptionis in fanis id com-  
paraveris, plane comperies. Qui carbones foffiles e navigiis  
Thamesinis ejiciunt, illi a viginta ad quadraginta ufque libras  
cerevifiae Londinenfis lupulatae, quae *porter* vulgo appellari con-  
uevit, pauculis etiam horis, fine ullo incommodo bibunt. Quae  
quantitates aquarum quoque mineralium aliquando impune po-  
tantur, eae fidem propemodum excedunt.

5. Univerfa denique remedia, quae in hunc morbum aliquid  
poffe reperiuntur, alicui earum potefatum, quas experimenta  
Hunteri cel. aliorumque ad abforptionem augendam in primis  
accommodari demonftrarunt, plane referri poffunt. Hoc faltem  
minime negandum, remedia efficaciffima, quae noverimus, pa-  
rum, fi aliquid omnino, ad exhalationem imminuendam con-  
ferre. Causae igitur fingulares abforptionis imminutae, quae  
attente confiderentur, digniffimae funt.

1mo, *Systema abforbens obturatum*. Effectus hujus non mani-  
fefti non effe poffunt.

A. *Concretis calculofis*. Hujus in Sherbio<sup>b</sup> admodum fingula-  
re, fed minime dubitandum, exemplum habemus.

Ductus vero thoracicus interdum ex toto obturari, et hydrops  
nihilominus vitari poteft, ut e cafu illo mirando in Tranfactioni-  
bus

<sup>a</sup> valeat, quanta certe ne arteriarum quidem rubrarum ad contractionem pote-  
<sup>b</sup> ftas eft." Et Sheldon l. jam cit. ad p. 28. haec verba habet: "The abfor-  
bents are undoubtedly the moft irritable of any fyftem of veffels in animal  
bodies." Confer etiam Haller. El. Phyf. tom. 1. lib. 2. feft. 3. § 3.

<sup>1</sup> l. c. cap. 5. p. 35.

<sup>b</sup> Differt. de calculo receptaculi chyli, hydropis  
caufa, apud difput. med. praft. Halleri, tom. 3. p. 536.

bus Philosophicis<sup>a</sup> commemorato fati superque constat. Quae ratione obstructionis tantae effectibus, quod haud dubie incidere fuerit occursum, nos magna ex parte latet. Cum vero ductum tunicae nullo vitio laborare repertae sint, materiam osseam absorberi, et obstructionem brevi tempore tantum ante mortem incidere potuisse, non improbabile est. Quae materia venam coctam obturavit, ea admodum diu subesse vix potuit, alioquin effusio multo major ab hac causa sola haud dubie fuisset profecta.

B. *Valvulis in osseam naturam mutatis.* Ingeniosus Andreas Fyfe, supra positus, se nonnihil exempli hujusmodi in uno casu vere offendisse memorat. In hoc quidem non multum hydropi adest. Valvulae vero in osseam naturam conversae pro causa quae incidere possit, habendae. Parvulae quidem et non admodum insignes, ob structuram lymphaticorum et magnitudinem anatomicum fugere possunt.

C. *Glandulis lymphaticis scirro laborantibus.* Quanquam multi in exemplis actio earum ad II. 2. relegari potest; e nonnullis tamen praeparatis ex iis in thesauro Monroiano utili et absolutissimo conservatis, quae terra calcaria evidenter inferciuntur, operationem earum frequenter huc referendam esse concluderent. Casus autem morbi a mesenterio obturato proficisci infra citatae evidenter ostendunt. Glandulae tamen mesentericae sine hydrope saepe non parum afficiuntur<sup>c</sup>. Hujus rationem, aliqui lacteorum ramos haudquaquam exiguos glandulas mesentericas plerumque praetervehi notando, reddere conatur Heusonius. Anasarcam brachii, a bubone axillae oriundam, partim huc, partim ad II. 2. B. relegandam puto; quoniam universa lymphatica a digitis extremis usque axillam versus ascendentia per hasc glandulas vel juxta eas transeunt, dum vena cephalica, contra eas ex toto vitat. Insuper, anasarca penis a bubone inguinali nonnunquam

<sup>a</sup> Tom. lxx. part 2. p. 233.      <sup>b</sup> Mem. de l'Acad. R. de Chirurg, tom. 2. An. 1753, p. 431. Nova Act. Phys. Med. n. c. tom. 5. obs. 59. Ephemerid. de Curieux Dec. 2. An. 6. 1687, obs. 73. Ephemerid. n. c. Dec. 2. An. 7. obs. 159. Annal. Phys. Wratisl. An. 1722. Mens. Jun. class. iv. § 12.  
<sup>c</sup> Med. Transf. vol. 2. p. 362.      <sup>d</sup> l. c. tom. 2. p. 45. Sheldon l. c. p. 30.

nonnunquam oritur. Insigne hujusce exemplum a clarissimo Gregorio accepi, quod multum periculi aegrotanti intentavit.

2. *Systema absorbens compressum.*

A. *Ductus thoracicus.*

A. *Aneurismatis aortae.* Haec supra I. 1. A. B. considerata fuerunt. Cum ductus thoracicus aortam inter et cavam fedeat, effectus, a compressione ejus pendentis, non parvos esse cense-rem. In casu supra p. 15. citato hoc potissimum a Hunterio cel- fuit notatum.

B. *Tumoribus per schirrum factis.* Exemplum hujus infra<sup>a</sup> vi- dendum. Num exemplum principis Germanici apud Hoffma- num<sup>b</sup> huc potest referri?

B. *Lymphatica singularia, ob causas I. 1. A. B. positas.* Prop- ter situm ea compressionibus plus minusve affici oportere non ponere non possumus. Magnopere vero dolendum est, anato- micos inter corpora incidenda ad lymphatica animum tam parum attendisse.

3. *Atonia systematis absorbentis.* Quanquam effectus hujus sys- temati absorbenti illatae minime negabuntur; non parum tamen dubito, utrum casus necne, qui mihi ob oculos obversantur, in absorbentia sola hoc modo agere a multis pathologis fuerit con- cessum. Nihilominus, cum ita facere probabile existimem, ato- niam hujusmodi, ut causam hydropis, hic apponendam curavi.

A. *Exanthematis repressis.* His anasarca praesertim frequenter excitata fuit. Multi effectus eorum debilitati referri debere ex- istimaverunt; sed manifestissimum esse mihi videtur, debilitatem a multis eorum minime magnam esse, et morbum non saepius ariusve pro gradu debilitatis majore vel minore semet osten- dere. Ob frigus collectum<sup>c</sup> aliasve causas, pars bona materiae exanthematicae per vasa lymphatica absorbetur, et in massam sanguinis devehitur. Haec autem ea magnopere irritare, et atoniam eorum et debilitatem facere, ut hic ponitur, existimari

†

D

potest.

<sup>a</sup> Mortoni Phthisiologia, lib. 1. cap. 10.

<sup>b</sup> Consult. et Resp. cent. 2.

3. cas. 70.

<sup>c</sup> De Haën Rat. Med. Contin. tom. 1. p. 137.

potest. Praeterea ob eam sentiendi legem, quae a Culleno cel.<sup>a</sup> memoratur, haec vis potentissime stimulans ut stimulum ejus, quem vulgo vehere soleant, humoris minorem non aequè, ac olim, acute sentiant facit, unde idem effectus orietur. Hoc magis probabile esse duco, quam, ut III. 1. B. A. poni potest, agere solere. Utcunque vero actio eorum exponi debeat, multi, iique medicinae peritissimi, ea pro causis habuerunt.

*A. Variola.* Haec hydropem non saepe facere videtur. Casus tamen hinc ortus<sup>b</sup> notatus fuit.

*B. Rubeola.* Hanc causam frequentem esse opinatur Mortonius cel.<sup>c</sup>; nullum vero exemplum adhuc offendi, quod opinionem ejus suffulcire plane videtur. In duobus<sup>d</sup> infra citatis dysenteria ad morbum movendum nonnihil contulisse videbatur.

*C. Scarlatina.* Haec multo frequentius hydropem excitare videtur, quam omnia reliqua exanthemata. Non pauca hujus exempla a Doctore Withering<sup>e</sup> aliisque memoriae prodita fuerunt.

*D. Erysipelate.* Ut hoc causam morbi frequentem esse credam facit auctoritas cel. Culleni, qui in anasarcae exanthematicae definitione<sup>f</sup> sequentia memoriae tradit. “Anasarca post exanthemata, et praecipue post erysipelas suborta.” In cubiculis Nosocomii Regii Edinensis exemplum hujuscemodi semet ostendit<sup>g</sup>. Nullum aliud, quod causae eidem clare posset tribui, adhuc offendi

*B. Scabie retropulsa.* Ab affectibus hujusmodi hydropes manare saepe fuerunt crediti, et operatio eorum, ut III. 1. A. B. non

<sup>a</sup> First Llnes, § 1178, et MS. Lectures on the Institutes. <sup>b</sup> Nova Act. n. c. tom. 1. obs. 21. Vir jure venerandus Hallerus in epistola ad Joannem Pringelium Equitem Baronettum memorat, hydropem variolam epidemicam quandam frequenter excepisse, Annot. MS. Pringel. tom. 7. p. 351. <sup>c</sup> De febribus inflam. <sup>d</sup> Essays and letters on the diseases of the West Indies, p. 145. <sup>e</sup> On the scarlet fever; Pleniz. op. tract. de Scarlatina, et De Haëna Rat. Med. cont. tom. 1. cap. vii. fere passim. <sup>f</sup> Nosol. Method.

ed. 4. t. m. 2. p. 276. <sup>g</sup> Cl. reports, An. 1771-2, Eliz. Campbell.

non multum semet exerere existimari potest. Casus hoc genus infra citatos<sup>a</sup> videre est.

Quoniam omnes hi morbi, si scarlatinam forsitan excipias, tam frequenter, nullo hydrope subsequente aut comitante, invadunt, hunc semet in conspectum, illis retrocedentibus, fortuito dantem, cur causa morbi vera non rite fuerit investigata, in causa fuisse suspicor.

III. *Causae, quae, relaxationem et atoniam faciendo, cum exhalationem adaugent, tum absorptionem imminuunt.*

Univerfa relaxatio et atonia, unde unde proficiscatur, hunc effectum haud dubie edet. Exhalationem, renixum in exhalantibus, quem humores transeuntes ibi offendere soleant, minorem reddendo, augebit, et quantitatem etiam partium crassiorum pro rata ratione majorem excerni patietur; dum quoque, ob actionem totius systematis diminutam, copia earum solita minor progenerabitur. Quinetiam absorptionem non minus imminuet; namque humores ostia lymphaticorum absorbentium per attractionem capillarem ingredi satis superque<sup>b</sup> probatum existimo. Si res vero ita sese habeat, auctus diametrorum eorum, qui ab hac causa orietur, pro legibus hydraulicis, vim attractionis minorem efficiat necesse est. Insuper cum absorbentia viribus muscularibus plane sint praedita<sup>c</sup>, actio eorum inde diminuetur, cumque potestas contractionis muscularis ubique quoque non affici non possit, humores absorpti vi minore propellentur. Si notiones Heufonii cel.<sup>d</sup> et Sheldonii ingeniosi<sup>e</sup> super structura villorum canalis alimentarii vasculosa et erectione, et structura ostiorum absorbentium alibi, quae illi consimilis esse creditur, recipiamus, hoc manifestius etiam esse videbitur. Forsitan, exemplis in diversis, utile foret statuere, utrum effectus modo positi exhalans absorbensve systema magis afficiant. Hoc vero faciendum suscipere non possum.

#### 1. *Debilitas*

<sup>a</sup> Nova Act. n. c. tom. 5. obs. 45. Recueil par Richard, l. c. tom. 2. pag. 315. 319. 322. Nova Act. erud. Leipf. 1763, pars I. p. 90 et apud Sauvages, ascit. exanthem. 4 casus commemorantur.

<sup>b</sup> Monro on the physiology of fishes, chap. 5. et Sheldon l. c. p. 29.

<sup>c</sup> Vid. supra, p. 22.

<sup>d</sup> l. c. tom. 2. p. 184. et seq.

<sup>e</sup> l. c. p. 29. 38. et seq.



1. *Debilitas univcrsa.* Effectus hujus sunt manifesti. Namque si potestates systematis motrices attenti consideremus, tonum uniuscujusque partis a statu vigoris corporis totius magnopere pendere reperiemus.

A. *Potestatibus recta sedantibus.* Per has autem certa significo, quae mihi vigorem et mobilitatem virium sani corporis motricium diminuendo agere, et ita debilitatem facere videntur.

A. *Frigore.* Hoc autem hac ratione, cum debilitatem facit, agere demonstrare videntur D. Spoonerii<sup>a</sup> experimenta. Nonnullis in casibus forsitan, ut III. 1. C. A. b. effectus suos edere potest. Aliae vero causae, ut paupertas, &c. ei saepe adjunguntur. Casus morbi, qui ab hoc fonte profluxerunt, infra<sup>b</sup> in conspectum dantur. An illi, ad quos lectorem relegat celeberrimus V. Swieten<sup>c</sup>, huc debent referri? Gravissimus quidem<sup>d</sup>, qui in cubiculis Nosocomii Regii Edinensis clinicis anno superiore semet ostendit, maxima ex parte a frigore deductus est. Hoc autem, licet gradu sit magnum diuque corpori applicetur, hydrophem non semper movere omnes non inviti confitebuntur. Exemplum hoc genus insigne in viro generoso offendi, qui frigori intenso, inopiae alimenti et affectibus animi potenter sedantibus diu objectus eo usque debilitatus est, ut vires suas per biennium exinde elapsam non recuperaverit; nullus tamen hydrops in eum invasit.

B. *Affectibus animum contristantibus.* Quanquam modum, quo agant, percipere nequimus; eos tamen vim debilitantem habere nemo negavit<sup>e</sup>. In casu, cujus mentionem injicit Hoffmannus<sup>f</sup>, menstrua suppressa forsitan ad morbum excitandum non nihil contulerunt. Cum sudores sanguinolenti, ut effectus, a timore nonnunquam proficiscantur, cujus quaedam exempla in medium protulit

<sup>a</sup> Diss. inaug. an. superiore edita, p. 23.

<sup>b</sup> Sauvag. anasarca. adia-

pneustia. Monro on the dropsy, p. 20. 65. 106. et alibi.

<sup>c</sup> l. c. tom.

iv. p. 130.

<sup>d</sup> Cl. reports, cas. Wm. Shand.

<sup>e</sup> A moerore. Med.

obs. and inquiries, vol. 2. p. 121. A timore. commercium lit. Norimb. An.

1743, heb. 25. A terrore subito cum summo moerore. Act. n. c. tom. 5. ob. 3.

A timore cum summo moerore. Tissot. epist. ad Haller. ap. Sandif. thes. tom.

2. p. 45.

<sup>f</sup> l. c. enarrat. morb. obs. 1. A terrore.

it De Haën<sup>a</sup>, hunc animi affectum in exhalantia sola agere inatur. Hi casus non obscure ostendunt, hydropem affectus, i animum contristant, non constanter excipere.

*C. Inertia.* Certus actionis gradus ad omnes corporis functiones rite peragendas omnino necessarius esse videtur. Ab eo primum pendet totius systematis, et praesertim virium motricum, vigor. Ex eo tempore, quo in legibus systematis nervosi investigandis tantum operae posuerunt medici, hoc attente diligenterque fuit notatum, quamvis semper quidem observatum et ceptum. Quales quantosque inertia in functiones corporis vires, animales et naturales, effectus edat, enumerare, et quomodo hydropem moveat, memorare facile possem; hoc vero partim necessarium esse duco. Sola vix unquam agere potest, tamvis causis a Listero<sup>b</sup> aliisque<sup>c</sup> fuit accensa. Alias vero causas, quales sunt aër impurus, diaeta tenuior, et similia, in quibusdam artificibus potentissime juvat. Somnus protractior a Hackenocooper<sup>d</sup> pro causa habetur. Sin ita sit, hoc modo agat oportet. Quidam observationibus Sanctorianis<sup>e</sup> induci effectus visus, cum victu lautiore conjuncti, ad III. 1. C. A. b. retulerunt.

*D. Evacuationibus.* Hae omnigenae hoc modo agunt. Cum vero earum effectus pro genere variant, de iis aptius postea ageretur.

*B. Potestatibus indirecte sedantibus.* Nihil, me iudice, apertius manifestiusve demonstratum est, quam omnem actionis sensusve magnum auctum, vigorem et sensilitatem, pro rata parte, diminuisse, excipere, et igitur omnes causas potenter excitantes, corpori commotum, indirecte sedare, vel multum debilitare. Hoc in sua lectione systematis nervosi indagatione<sup>f</sup> pulcherrime illustravit, et hoc toto firmavit acre sagaxque ingenium Cullenianum. Utrum vero debilitas hoc modo mortalibus illata, ab ea, quae potestates indirecte sedantes, corpori applicatas, subsequatur, necne discrepet, et

<sup>a</sup> Rat. Med. tom. 3. cap. 16. p. 416.

<sup>b</sup> De morb. chron. l. c. cas. 5.

Bonet. sepulchret. anat. lib. 2. sect. 1. ob. 76. Confer etiam Ramazin. de morbis artificum.

<sup>d</sup> Diss. inaug. An. 1671, ap. Lug. Bat. edita.

<sup>e</sup> Aphor. stat. sect. 4. § 11. et 52.

<sup>f</sup> First lines, § 1178. et MS. lectures

the institutes.

et utrum attentionem medicorum singularem sibi necne ex non meum est hoc in loco statuere.

*A. Morbis, diu manentibus vel violentis.* Omnia morborum huiusmodi genera semper magnam debilitatem, et, uti opinor, ipso modo, faciunt. Œdema pedum levius hac ratione semper progeneratur. Hydrops, qui inveterascit, aliquando, sed raro ab hac origine profluit.

*a. Febre continua.* Casus hoc genus infra citatos videre est. In casu a claro Pomme<sup>b</sup> relato alia febris fuerunt adjuncta. Ægrotans, loco honestissimo nata, hysteria laboravit, et febris mediaestate invasit. Sauvagesius, proprietate tumoris notata, hoc casu, ut fundamento suae anasarcae hystericae, usus est.

*b. Febre intermittente.* Haec hydropis frequenter origo. Utrum vero hoc modo agat, vel schirrum hepatis prius inducat, quibusdam in casibus iudicatu difficile est. Anasarca, forsitan facta, illi; ascites huic tribui potest. Casus huiusmodi infrequenter reperiendi sunt, et complures iis consimiles ipse vidi.

*c. Phlegmasiis.* Vide I. 1. A. B. a.

*d. Exanthematis.* Vide II. 3. A.

*e. Diarrhoea.* Hanc III. 1. C. B. b. postea exequar.

*f. Dysenteria.* Haec morbi causa satis crebra est. Monro<sup>d</sup> tradit, se hydropem hinc oriundum, inter milites cuius suae demandatos nutriendos, frequenter offendisse<sup>e</sup>. Pauci sunt hoc genus exempla, sed non perquam gravia, semet mihi oblatulerunt.

*g. Arthritide.* Quanquam testimonio complurium medicorum, qui in medicina facienda diu fuerunt versati, quibusque summa fides habenda, inductus mihi firmiter persuasum habet, arthritide

<sup>a</sup> Med. obs. and inquires, vol. 4. p. 410. Pison. obs. sect. 3. cap. 7. obs. Milman. l. c. p. 146. Annot. MS. Pringelii, tom. 2. p. 44. <sup>b</sup> Traité des affections vap. ed. 2. p. 438. <sup>c</sup> Willis, l. c. pars 2. sect. 3. cap.

Werholf de febribus, p. 59. Lister. l. c. cas. 7. 9. et 10. Lysson. l. c. cas. 1. 3. 5. et 8. Monro l. c. p. 72. Collins de lact. virofa, et de colchico autum. f. passim. <sup>d</sup> l. c. p. 12. <sup>e</sup> Nov. Act. n. c. tom. 5. ob. 44. c.

x. et 2. Hoffman. l. c. enarrationes morb. ob. 4. et Marquet. Traité pratiq. p. 112.

ritidem hydropem frequenter facere; illi tamen, qui hydropem executi sunt, animum ad hanc causam considerandam multum adjunxerunt. Quomodo agat, statuere non audeo; que pathologia ejus, licet Cullenus celeberrimus multum cooperataeque in ea exponenda illustrandaque posuerit, multauritate adhuc involuta jacet.

Quantum anasarcae loco propriae omnem paroxysmum grauem excipit, et anasarca uniuersa nonnullis in casibus<sup>a</sup> per inuis morbi reiteratos fuit excitata. In his operationem hucerre non dubitarem.

Ino in exemplo<sup>b</sup> ascites arthritidis atonicae ventriculum etstina frequenter invadentis progenies esse visus est. Quod ab arthritide saepissime profuit, id est hydrothorax, praem in aetate provectioribus. Qua ratione humor in his exilis effundatur, exponere conari tempus non patitur.

Cullenus notavit, morbum, si diu in usu pulveris Portlandici, iaci, &c. perstet, prognerari solere. Sagax vero et exus Dr Gillespie mihi affirmat, se aliquot hydrothoracis ab fonte orientis exempla offendisse, ubi haec medicamenta morbum movendum nihil conferre potuerunt. In omnibus exemplis non parum dyspnoeae subsuit, et paroxysmi frequentes asthmatici ante mortem invaserunt, et in quibusdam eoadmodum ambigi poterat, utrum hi pro causis vel effecti liquoris effusi debuerint haberi. Valvulas cordis in uno ex exemplis naturam osseam sibi induere incepisse notavit cele Monroius. Utrum vero hoc materiae, ei quae in ligamentis colorum reperitur simili, depositae necne tribui debuerit, catu est difficillimum. Lumen huic rei offusuras esse observationes futuras spero.

3. *Affectibus animi excitantibus.* Hi haud dubie huc sunt referendi. Quomodocunque actionem eorum explicemus, eos, nonnullis in casibus, pro causis habendos esse ex infra<sup>c</sup> citatis existimo.

mo.

Annot. MS. Pringelii, tom. 2. p. 1. tom. 4. p. 131. tom. 9. p. 273.

Annot. MS. Pringelii, tom. 3. p. 346.

<sup>c</sup> Ab ira. Com. lit. Norimb.

1745, heb. 42. p. 329. et cas. Guthrii ap. Cl. reports, An. 1771-2. Ab injuria

mo. Hoffmannus<sup>a</sup> iram, potione frigida protinus postea fura, hydropem facilius concitare affirmat.

*C. Exercitatione vel labore violento.* Exercitatio systema totum et venosum absorbensque systemata praesertim, ob structuram vasculosam, potenter univarseque stimulat. Hinc eam debilitate quae ei pro rata parte respondeat, semper subsequi reperimus. Effectus forsitan singulares in circuitum pulmonum edere potest. Violentum durumque laborem hydropem facere posse non improbabile est; nullum vero exemplum vidi, ubi etiam causa positus est. Quae exercitatio violenta praestiterit, ea<sup>b</sup> in conspiciet.

*D. Intemperantia.* Usus liquorum spirituosorum nimis potissimum in culpa esse videtur. Quanquam multis opium reddunt, effectus tamen eorum huc potius referendos duco; quoniam a potestate, qua systema universum, ventriculum praesertim, afficiant, nimis stimulante effectus debilitantes oriri crederentur. Hos indicant cruditas, appetentia cibi amissa hujusque sequela quae, ratione modo comprehensa, aegrotanti inferuntur. Haec autem una cum inertia, cui intemperantia adjungi consuevit, effectus hujus magis insignes efficit. Non sine ratione quidem gravi fuit notatum, ebriosos, qui multum exercitationis adhibent, valetudine commoda diuturna frui solere. Intemperantia quoque schirrum hepatis modo mirando et inexplicabili progignit videtur, et hinc effectus I. r. A. A. b. bb. oriuntur. Haec haud dubie saepissime, cur hydrops excitetur, in causa est<sup>c</sup>, et hoc quod nuper apud Scotos semet frequentius, ni fallor, ostendit magis liberali forsitan aquae vitae usui tribuendum est. Haec aequae, ac omnes alias causas hactenus comprehensas, morbum

ria inulta. De Haën l. c. tom. 2. cap. 8. p. 118. cas. 4. confer etiam Comment. rebus. tom. 13. p. 311. <sup>a</sup> l. c. thes. path. § 22. <sup>b</sup> M

Transact. vol. 2. p. 251. Willis l. c. pars 2. sect. 1. cap. 13. p. 216. Ann. MS. Pringelii, tom. 8. p. 621. <sup>c</sup> Med. Transact. tom. 2. p. 245. Liff

l. c. cas. 1. 16 et 18. Com. lit. Norimb. An. 1742, heb. 27. § 2. Clin. rept

An. 1770-1, — Rainey. Recueil par Richard, l. c. tom. 2. p. 390. Sir H.

Sloane's history of Jamaica, introd. p. 98. et Hoffman. l. c. enarrat. mo

obf. 7.

non semper movere compertum habemus. In illo exemplo imperantiae insigni, a Suietenio cl.<sup>a</sup> relato, ne unum quidem hydropis signum apparuit.

*E. Venere nimia.* Effectus hujus, me judice, huc plane debent referri; utrum vero hydropem necne, nullis aliis causis ei adunctis, unquam excitaverit, ambigi potest. In duobus exemplis a Hans Sloan, Equite Baronetto<sup>b</sup>, memoriae traditis imperantia cum aliis fuit conjuncta.

*F. Doloze intenso.* Si dolor nimius hydropem unquam dedit, tum hoc modo agere oportuit. Colica est exemplum hujus praecipuum, quod profertur, et in casu a Sckenckio<sup>c</sup> memorato morbum fecisse videtur. Si colica Pictonum, uti De Haën<sup>d</sup> contendit, causa morbi frequens sit, effectus ejus cum ratione graviore paralyfi inde nascenti referri possunt. Non invenio tamen, auctores memorasse, eam hydropem revera peperisse. Ad nocce caput forsitan pertinet casus Willisianus<sup>e</sup>, a doloribus veneris oriri existimatus, et ille quoque Meadianus e Monroio cl. supra ad paginam 21. citatus. Ut in hanc sententiam concedam, facit curatio ab opio petita. Silentio non praetereundum videtur, opium in quatuor aut quinque morbi exemplis, quae offenderim, quaeque eo remedio depelli fuerint dicta, aliquot dolores graviores, qui morbum augere et curationi ejusdem obsistere saltem visi sint, levandi fuisse datum. Partus difficilior morbum nonnullis in exemplis movere fuit existimatus<sup>f</sup>. Eum autem absorbentia debilitando agere opinatur Fothergillius, et aliam actionem habere non posse ait. Cum vero omnia casum spectantia non plene fuerint descripta, quantum dolor violentus ad morbum excitandum contulerit, vel utrum ruptura lymphaticorum necne in causa ejus fuerit, asserere non audeo.

*C. Humoribus aquosis massae circumeuntis pro rata ratione adauctis.* Quanquam hanc causam I. B. collocavi, et actionem ejus illuc referre potui; modum tamen, quo agere videatur, cum,

†

E

me

<sup>a</sup> l. c. tom. 2. p. 137.

<sup>b</sup> lib. jam cit. p. 133. et 149.

<sup>c</sup> De

hydrope, ob. 3. p. 430.

<sup>d</sup> l. c. tom. 3. p. 429.

<sup>e</sup> l. c. pars 1.

sect. 7. cap. 1.

<sup>f</sup> Med. obs. et inq. vol. 4. p. 414.

me iudice, ad debilitatem universam creandam plurimum accommodetur, hoc in loco considerabo.

1. Physiologia docet, portionem humorum aquosorum non parvam, partibus crassioribus, potissimum glutini, involutam, in massa circumeunte retineri. Ita, si ratio humorum aquosorum adaugeatur, cum quantitas partium aquosarum, quae retinetur, naturaliter pro rata parte humoribus crassioribus respondeat necesse fit, pars superflua ex exhalantibus diversis facile effundetur, et ut I. 1. B. aget. Huic tamen quibusdam in casibus occurrunt secretiones et excretiones aquosae adauctae.

2. Cum aliquam glutinis portionem in humore effuso dissolutam esse semper reperiamus, igitur, si ratio partium aquosarum quantitate glutinis interea non adaucta, major evadat, pars illius glutinis, quae in vasis humores circumvehentibus retineri debuit, una cum copia partium aquosarum superflua evacuabitur et ita quantitas humorum in systemate sanguifero imminuetur. Cum autem vigorem totius systematis a tono, et hunc a tensione vasorum sanguinem vehentium magnopere pendere compertum habeamus<sup>a</sup>, ab hoc fonte et origine haud dubie profluat debilitas.

3. Cum ratio non desit, cur credamus, quantitatem partium crassiorum in massa sanguinea a vigore systematis universi non parum pendere, ita, eo vigore in morem supra comprehensum semel imminuto, ratio partium amissa manebit, et igitur evacuatio et debilitas, inde oriundae, majores reddentur.

4. Ex Halesianis experimentis<sup>b</sup>, certas humorum dotes, praeter quantitatem et tensionem modo positam, vigori systemati necessarias esse evidentissime constat. Hanc notionem juvenis amabilis Goodwin, in dissertatiuncula ingeniosa Societati Medicae Edinensi nuper oblata, longius etiamnum provexit, et per experimenta multa et observationes actioni ventriculi cordis sinistri, uti sanguine, vel circuitu per pulmones, vel per placenta, si foetus in utero est, arterioso reddito impleatur, necessa-

riun

<sup>a</sup> Cl. Cull, MS. Lectures on the institutes.

<sup>b</sup> Haemastatics, exp. xii

ium esse, me iudice, demonstravit. Si res autem in corde ita esse habere probetur, nonne admodum probabile esse dicere licet, et gradum stimuli idoneum, si ratio partium aquosarum multum adaugeatur, cordi arteriisque non datum iri, et actionem diminutam universamque infirmitatem esse subsequuturas.

His supra comprehensis inductus, hocce causarum caput tabulae hic inferendum curavi, et eas, ut et in exhalantia et in absorbentia agentes, considerabo. Milmannus<sup>a</sup> hydropem hinc oriri posse negat, praeterquam in hisce exemplis, ubi solida ante fuerunt debilitata. Hoc haud dubie, ut morbus certius oriatur, facit; sed odio omnis, quae humores spectat, pathologiae abreptus, hac in re iusto longius forsitan progressus est.

*A. Quantitate humorum aquosorum massae sanguineae iusto copiosiore reddita.* Hanc autem eam rationem, quae inter aquosas et crassiores partes naturaliter intercedat, nisi hae eodem tempore, quod hic incidere nequit, augeantur, tollere oportere manifestum est.

*a. Nimia humorum aquosorum quantitate in systema corporeum inducta.*

*aa. Per ventriculum.* Si nobiscum in punctum temporis reputamus, quam immensa humorum, aquarum mineralium, e. g. copia, quinquaginta etiam librae eodem die, in ventriculum nonnunquam recipiantur, hydropem tam raro inde proficisci mirum videbitur. Noxis autem, quae hinc alioquin orirentur, per legem systematis<sup>b</sup> obsisti novimus, adeo ut, sanitate praesente, vix exemplum, ubi morbus ab hoc fonte fuerit derivatus, habeamus. Experimenta Schulzii<sup>c</sup> testantur, debilitatem antecedentem ortum morbi certiore efficere. Et quidem in omnibus fere hydropis exemplis, quae recensuerit, ab hac causa profluentibus, vel debilitas ante subsuit, vel perspiratio vel urina eodem tempore diminuta fuit, ut in illis casibus, ubi frigida subito ingesta morbum excitavit. Utrum frigida in systema agens alios necne effectus, praeter perspirationem suppressam, ediderit, disputari forsitan

<sup>a</sup> l. c. p. 12.

<sup>b</sup> Cullen's institutes of medicine, § 273.

<sup>c</sup> Dis-

sert. de elast. effect. ap. Halleri disp. med. pract. tom. 3. p. 670.



fitan potest. Eam autem pro causa multi habuerunt. Casus morbi, ubi debilitas antecesserat<sup>a</sup>, et ubi frigus corpori fuerat admotum<sup>b</sup>, infra notati sunt. De Haën<sup>c</sup> affirmat, totum Caesariensi exercitum, dum Tunetata obsidebat, hydrope graviori ab hoc fonte manante, fuisse correptum. Casus<sup>d</sup>, ubi dysuria morbo fuit adjuncta, memoriae proditus est.

bb. *Per exhalantia superficiei externae.* Ex observationibus experimentisque discimus, quantitates humorum non parvas, certis systematis conditionibus substantibus, hoc modo in corpus devenire solere<sup>e</sup>. Corpora humana Portsmouthiae in aquam salis annos pauculos immersa, plus ponderis sibi adepta sunt, quod hoc plane firmat. Sitis quoque iis fuit restincta. In diabete, quod neminem latet, hoc admodum notabile est. Et in hydrope, ab unde nascente, humorem, qui in aliquod cavum confluit, hoc modo saepe multum augeri compertum habetur. In casu Gregorio claro in praelectionibus suis memorato, e supputatione satis accurata plane constabat, circiter 120 libras humoris, praeter quantitatem quae naturaliter exhalavit, spatio 50 dierum hoc modo fuisse accumulatas. Nullum tamen hydropis exemplum quod hinc manifeste proficiscebatur, videre mihi contigit. Morbus in Batavos, ubi aër multa humiditate fere semper oneratus consuevit, frequenter invadens, huic causae fuit relatus. Humiditas quidem aëria ad morbum movendum aliquid forsitan potest conferre, cum e Robinsonii experimentis<sup>f</sup> constet, aërem madidum pondus corporis non parum augere, cumque eadem experimenta vim cordis arteriarumque inde debilitari testentur. Multa vero alia, praesertim intermittentes crebriores, ut III. B. agentes, humiditati possunt adjungi.

b. *Quantitas*

<sup>a</sup> Monro, l. c. p. 11. Act. Hassnens. An. 1673, obs. 105. <sup>b</sup> Monro l. c. p. 110. 193. 205. Laekencooper, l. c. Ernest. Cono, l. c. p. 312. Will. diss. de stupend. abdom. tumore ap. Haller. disp. med. pract. tom. 4. p. 45. Pisonis obs. select. sect. 4. cap. 7. obs. 113. et 114. <sup>c</sup> l. c. tom. 2. cap. 3. p. 39. <sup>d</sup> Lister l. c. cas. 15. <sup>e</sup> Watson's chemical essay vol. 3. p. 100. Cl. Home medical facts, part 3. chap. 3. Keil's medicina statica, p. 19. <sup>f</sup> Treatise on the animal oeconomy, prop. 37.

. *Quantitate humorum aquosorum insueta in massa retenta.* Haec one modo comprehensa agat necesse est.

a. *Ob perspirationem obstructam.* Haec per se hydropem vix quam movere potest, quoniam ita a natura comparatum est, una secretionem imminuta, alia soleat pro rata ratione augeri. Ita ex exemplis, quae III. 1. A. A. enumerata sunt, huic saepe parum idoneae fuerunt tributa. An casus morbi a sudatione poplitem consueta suppressa<sup>a</sup> oriens huc potest referri?

bb. *Ob secretionem urinae imminutam aut suppressam.* Urinam toto suppressam mors fere semper cito subsequitur. Igitur vicissimi hydropis casus hinc proficisci possunt. Ea exempla, quibus urina secreta absorbetur, et rursus in cava corporis diffusa statu propemodum naturali effunditur<sup>b</sup>, huc non referenda sunt. Nonnulli vero casus, huc plane pertinentes, ab affectibus huiusmodi orti, a Monroio cel.<sup>c</sup> citantur. Qui I. 1. A. A. b. ee. e. praepositi fuerunt, ii hoc modo ex aliqua parte agant oportet. Huc quoque forsitan a De Haën<sup>d</sup> memoratum referre debemus, si pudor suppressionem progneravit.

B. *Quantitate partium crassiorum diminuta.* Quantitas partium aquosarum eadem manens idem praestet necesse est. Potentius forsitan aget, quoniam status tensionis, &c. hoc modo certius motus afficietur.

a. *Partibus crassioribus justo parcius progneratis.*

aa. *Alimento quantitate deficiente, dotibusve vitiato.* Ratio, quam amores ex alimentis formentur, tenebris obscuris adhuc invocata jacet. Admodum vero probabile esse videtur, partes alimentum magis aquosas sanguini magis aquosas, et solidiores crassiores suppeditare. Si ita fit, effectus hic positi, alimento parciore vel corrupto, orientur oportet. Sive haec causa omnino, ut modo posuimus, sive aliter agat, certissimum est, eam ad motum excitandum saepe multum contulisse. Utrum vero hoc unquam necne praestet sola, non parum ambigo. Casus infra po-

fiti

<sup>a</sup> Acta phys. med. n. c. tom. 5. ob, 2. p. 370.

<sup>c</sup> l. c. p. 13. et 71.

<sup>b</sup> Haller. elem. physiol. tom.

<sup>d</sup> l. c. tom. 2. cap. 2. § 3. p. 33.

siti sunt<sup>a</sup>, ubi magnos effectus edidit. Huc anasarcam Annanam Sauvagesii referendam judico, quam Cullenus, nosolorum facile princeps, sub specie exanthematica comprehendit. Gregorius cl. notat, plures aegrotantes, qui hydrope colluctati sunt, hyeme 1780-1, ubi temperies aëris frigidissima fuit, et magna annonae caritas, quam ullo alio tempore, in cubiculis neocomii Regii clinicis curae suae fuisse demandatos. Lindius etiam ut causam frequentem memorat.

bb. *Affimilatione parum perfecta.* Haec idem faciat oportet.

aaa. *Propter affectus viscerum chylopoeticorum.* Affectus horum organici supra, I. 1. A. A. b. ee. fuerunt considerati, et ea, quae hoc modo praestent, breviter exposita. Quantum singula viscera in cibo affimilando agant, non facile statui potest; hoc verum compertum habemus, ventriculum plurimum praestare. Haec ob causam, dyspepsia, ut hydrovis causa, saepe memorata fuit. Gregorius cel. vero non sine causa gravissima notat, in praelectionibus suis, multos casus, ubi corpus admodum extenuatum est, hinc proficiscentes, sine ullis hydrovis signis, semet ostendunt. Nonnullis in exemplis, vita, uti videbatur, inopia alimenti, fuit extincta, nulla humoris accumulatione facta, quae nomen hydrovis merita est. Duo hujuscemodi casus in Recueil par Richand referuntur. Si edacitas, ut Laelio<sup>d</sup> placet, morbum unquam faciat, eam huc referri debere, frequente nimiaque distensionem atoniam ventriculi faciente, ponere possumus. An casus a Lister<sup>e</sup> comprehensus huc referri potest? Cum secretio bilis idonea ad cibum affimilandum omnino necessaria sit, hydrovem in ictero saepe motum iri putares. Icterus quidem apud multos auctores causis morbi annumeratur; sed in diversis morbi historiarum, ubi eum offendi, utrum hydrovem necne excitaverit, non parum dubito. Casus ad paginam infimam<sup>f</sup> videre est, ubi forsitan nonnihil praestitit.

<sup>a</sup> Phys. and lit. essays, Ed. vol. 2. p. 407. Lister l. c. cas. 6. Monro l. p. 19.

<sup>b</sup> On hot climates.

<sup>c</sup> l. c. tom. 2 p. 499. et 500.

<sup>d</sup> Diss. inaug. Lug. Bat. edita. Conf. Annot. MS. Pringel. tom. 2. p. 41. et tot. p. 325.

<sup>e</sup> l. c. sect. 5. cap. 1. ob. 133.

<sup>f</sup> Manget. E

blioth. med. pract. tom. 3. p. 908. Tulp. l. c. cap. 25. ob. 36. Van Swieten l. c. tom. 4. p. 221. Annot. MS. Pringel. tom. 4. p. 102. tom. 9. p. 324.

In actis Wratiflaviensibus<sup>a</sup>, multa exempla citata sunt, ubi ventum deletum pro causa morbi habitum fuit. Id vero effectibus morbi potius accensendum puto<sup>b</sup>.

bb. *Propter atoniam systematis vasculosi.* Rationem partium crassiorum debitam a tono systematis vasculosi pendere, in primis probabile esse existimo, et rem ita sese habere fere semper possumus. Hoc e pallore superficiei in exemplis hujusmodi apparet, et partium rubrarum glutinisque defectus in profusionibus sanguinis fortuitis, et etiam in cadaveribus incidendis, notatus est. Quinetiam ratio diminuta ad partes aquosas, quae, ob excretionem et secretionem parciore redditas, praeter consuetudinem augentur, retinendas accommodatur. Hoc modo igitur, a ratione hydropem progignat, intelligere possumus. Hujus rationis documentum clarissimum in

aa. *Chlorosi* habemus; quanquam rationem, qua affectus systematis uterini eam moveat, exponere non possumus. Causis semper annumerata fuit, et nonnihil oedematis semper in hoc morbo est; sed nullum hydropis gravioris ab hac causa orti casum offendi, quamvis multi forsitan existunt.

bb. *Scorbutus* quoque huc referendus videtur. Utrum vero morbus a partibus crassioribus per putredinem dissolutis necne potius oriatur, ambigo. Morbum nonnunquam facere videtur<sup>d</sup>.

cc. *Partibus crassioribus a reliqua massa nimia quantitate separatis.* Cum hoc incidit, effectus consimiles edat necesse est.

aa. *Globulis rubris et glutine.*

aaa. *In activa haemorrhagia.* Si nobiscum consideramus, partem glutinis admodum largam, et globulos rubros universos, in vasis majoribus tantum partium aquosarum portione, in vasis majoribus contineri, dum quantitas partium aquosarum maxima cum glutinis portione minima vasis minoribus continetur, non manifestum non esse potest, nimiam globulorum rubrorum et glutinis haemorrhagis quantitatem a reliqua massa disjungi oportere.

Insuper,

<sup>a</sup> Historia morb. Wratiflav. cura Halleri, p. 206.

<sup>b</sup> Morgagni l. c.

lib. 38. § 36.

<sup>c</sup> Cull. MS. lect. on the therapeutics, § inspissants,

Bayvag, ascites scorbuticus, auctoresque ab eo citati.

Insuper, vasa ampliora subito depleta atoniam universam et  
 quelas supra comprehensas prognerent necesse est. Profusio  
 sanguinis igitur e qualibet corporis parte hydropem facit.  
 Magnam exemplorum hujuscemodi varietatem habemus <sup>a</sup>. 1.  
 drops a haemorrhagia uterina, ut Marquet <sup>b</sup> perhibet, ortus  
 Unus hydropis casus ab haemorrhagia intestinorum <sup>c</sup>, et d  
 ab abortu fuerunt profecti. Quousque vero hae haemorrhagi  
 nullo hydrope excitato, interdum procedant, a multis auctorib  
 fuit notatum. Listerus <sup>e</sup> posuit, ortum hydropis rariorem, a  
 norrhagia et haemorrhoidibus, hinc posse exponi, qu  
 vasa, licet nulla plenitudo systematis universa subsit, ob profus  
 nem consuetam et structuram primariam, generationi sangu  
 ejusdemque accumulationi plane accommodantur. Hoc fo  
 tan, quatenus ad haemorrhoidem attinet, non omnino verum  
 Exemplum menorrhagiae nuperum novi, quod per trienni  
 fere manserat, in quo profusio sanguinis copiosissima fuit, et  
 complures menses non ultra tres quatuorve dies intermisit  
 nullus tamen hydrops excitatus est.

bbb. *In passiva haemorrhagia.* Haec pro causa hydropis  
 habita. Si ita sit, hoc modo haud dubie egit.

*a Abusu sanguinis detractionis.* Hic morbum fecisse creditur  
 Multa vero abusus hujusmodi exempla habemus, ubi effectus  
 fuit occursum. Pomme <sup>g</sup> casum mulieris annos 22 habentis n  
 morat, quae, ob terrorem gravissimum ei incussum, morbo co  
 vulsivo fuit correpta, et cui, in vices trecentas spatio 26 m  
 sium, sanguis fuit detractus. Nullus tamen hydrops in eam  
 vafit.

*β Vulneribus.*—Juvenis 22 annos natus curae meae co  
 missus est, qui, ob vulnus capiti illatum, quantitatem sang  
 nis immensam fere amisit, et igitur admodum debilitatus e

Infirm

<sup>a</sup> Monro l. c. p. 10. Philos. Transact. No. 471 § 15. Lister l. c. cas. 4

8. <sup>b</sup> l. c. p. 102. vid. etiam Med. Transf. tom. 2. p. 243. <sup>c</sup> L

fons on the dropsy, sect. 3.

<sup>d</sup> De Haën l. c. tom. 3. p. 399. Hoffm

l. c. enarr. morb. ob. 3.

<sup>e</sup> l. c. cas. 2.

<sup>f</sup> Tissot ep. ad H

l. c. p. 44. V. Swieten l. c. com. aph 106. Annot. MS. Pringel. tom. 4

773.

<sup>g</sup> l. c. p. 40.

Infirmus in multos menses mansit; sed ne unum quidem hydro-  
pis signum apparuit. Ex his modo positis igitur, non conclu-  
dere non possum, haemorrhagiam per vulnera factam hydropem  
raro aut nunquam, praeterquam in iis qui aliquo morbo ante  
laboraverunt, excitasse.

bb. *Glutine solo,*

aaa. *In profluviis purulentis.* Experimenta Gaberi<sup>a</sup> pus e glu-  
tine vel lymphâ coagulabili potissimum conflatum esse, testari vi-  
dentur. Fonticuli diuturni causis hydropis adnumerati fuerunt.  
Nullos vero casus, qui rem ita sese habere ostendunt, vidi. Qui  
ab abscessibus I. 1. A. A. b. ee. fff. orti sunt, ii forsitan aliqua ex  
parte hoc modo egerunt.

bbb. *In morbis quibusdam.* Hoc etiamnum magis dubium est.  
Qui morbi hoc in loco mihi ob oculos obversantur, ii omnes se-  
cretionem mucî, vel alicujus humoris similis, adaucta stipantur.  
Nihil vero novimus, unde possit deduci, nimiam glutinis quan-  
titem in hisce casibus secerni. In cystirrhoea exemplum copio-  
sissimi mucî profluvii, quod in ullo fere morbo semet ostendit,  
habemus. Hydrops tamen, quanquam aetatem provectiorem  
frequenter invadit, ea rarius excitatur. Igitur omnes morbi  
forsitan, hic enumerati, quatenus morbum nimio profluvio mo-  
vent, sub III. 1. A. D. vel III. 1. B. A. aptius considerati fuif-  
sent.

*α Catarrho.* Hic, ut causa, positus fuit. Casus hujusmodi in  
Listero<sup>b</sup> reperiendus est, sed forsitan ad I. 1. A. A. a. bb. re-  
legari debet.

*β Diarrhoea.* Casus hujusmodi in Orraeo<sup>c</sup> videri potest.

*γ Hypercatharsi<sup>d</sup>.* Me de exemplo anasarcae funesto, quod ab  
una falsi Glauberiani dosi fuit profectum, certiore fecit Gre-  
gorius clarus.

*δ Leucorrhoea.* Huc aptius forsitan refertur hic morbus. A-  
liquantum oedematis hunc provectiorem saepe comitatur; sed hy-

†

F

drops

<sup>a</sup> Miscel. Taur. tom. 2. p. 80.  
p. 225. n.

<sup>b</sup> l. c. cas. 13.

<sup>c</sup> De peste,

<sup>d</sup> Nov. act. n. c. tom. 1. append. p. 149.

drops gravior inde raro proficisci videtur. Casus hoc genus a Forreſto<sup>a</sup> memoratur.

<sup>a</sup> *Ptyaliſmo*. Quin hic protractior et copioſior morbum poſſi-  
ciere, vix, me iudice, poteſt dubitari<sup>b</sup>.

2. *Debilitas loci propria,*

A. *A paralyſi ſyſtematis partem tantum infeſtante*. Quos effectus  
haec in omnia partis laborantis vaſa ſanguifera et abſorbentia  
edit, hi ab univerſis auctoribus pro cauſa morbi recipiuntur<sup>c</sup>.

Hoc modo ſeriem cauſarum, quae vulgo fuerunt poſitae, hu-  
jus ſectionis morborum, qui tam frequenter accedunt, tantaque  
difficultate depelluntur, longiſſimam, ut potui, non ut volui  
percurri. Ex ea denique hoc concludendum puto, aliquem ſta-  
tum ſingularem totius ſyſtematis, vel alicujus ejuſdem partis  
etiamnum ſuperelle, qui attentionem medicorum et investiga-  
tionem hucusque fugit, quique ad hoſce morbos procreandos  
neceſſarius eſt. Hoc ſubſtante, cauſae ſupra comprehenſae mor-  
bum excitare poſſunt; eodem abſente, effectibus earum aliqua  
modo occurritur.

“ Multa tegit ſacro involucre natura, neque ullis

“ Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia.”

---

Hocce tentamen, quanquam jam longius eſſe videatur, ad fi-  
nem ante perducere nequeo, quam viris quibuſdam generoſis,  
qui amicitiam ſinceram in memet demonſtrarunt, grates digniſ-  
ſimas perſolvi. Imprimis urbanitas, qua me fuit proſecutus Cul-  
lenus magnus, ſingularis nunquam mihi e memoria excidet.  
Abſit, ut ſilentio viros celeberrimos Monroium et Hopaeum  
praeteream,

<sup>a</sup> Obſ. et cur. med. ob. 20.

<sup>b</sup> Hoffman. l. c. theſ. path. § 24. Lang-

lands de Anaſarca.

<sup>c</sup> Hoff. ſup. cent. I. obſ. 97. Vogel. de cog. et

cur. morbis de aſcicide. Vogel. l. c. ap. Sandif. p. 476.

aeteream, qui non tantum vicem professorum excellentium in  
e valetudine commoda fruenter praestiterunt, sed mihi fami-  
eque paternae morbo gravi periculosoque laborantibus, ea hu-  
nitate et scientia vera, quae in his emineant, succurrere pro-  
pili contenderunt. Quinetiam viro clarissimo Gregorio, qui,  
ous ita se habentibus, omnia amici et medici munia obierit,  
antum debeam, nulla verba possunt enunciare. Diu floreat,  
diu artem Hippocraticam in commodum saeculi praesentis  
rpolire et excolere pergat, aegrotantium spes et praesidium,  
edictorum decus et lumen. Denique, hoc in loco commemo-  
ur oportet amicitia viri clari Doctoris Gillespie, intemerata et  
bilis, qua me a tyrocinio inchoato usque constanter fuit pro-  
utus, progressui meo in medicina, quantum in sese fuit, favens  
consulens.

F I N I S.

C O R R I G E N D U M.

*Pro Ephem. de Curieux, lege Ephem. n. c. passim.*



